D· SALONII

VIENNAE GALLIARVM EPISCOPI DOCTISS. AD VERA

*nium Fratrem, Dialogi duo, in quorum pri
ore Parabolas Salomonis, in altero au
tem Ecclesiasten interpretatur.*

BESSARIONIS

PATRIARCHAE CONSTANTINO

*politani, de ea parte Euangelij, Si eum uolo ma
nere &c. Erudita, & ualde
utilis disceptatio.*

D. IOHANNES ALEXANDER
*Brassicanus, Iureconsultus, pietatis ergô, in
lucem aedidit.*

Haganoae, ex officina [redacted].
Anno M. D. XXXII.
Mense Februario.

REVEREND. AC

ERVDITO PATRI, D. GVILIELMO FIGVLO, COENOBII AD S. CRVCEM IN Austria Seniori, Dn. & amico suo chariss. Iohan. Alexander Brassicanus, Iureconsultus,

S. D. P.



RECTE AC PRVDENTER mihi Plinius dixisse uidetur, plurimum referre, in quæ tempora cuiusque uirtus inciderit, Ita, ut complures magni nominis scriptores hoc unum sibi defuisse conquerantur, quod non sub Alexandro Magno uixissent. Vnde & Archestratus, insignis alias poeta, cum graui admodũ paupertate premeretur, & perinde ab omnibus contemptibilis haberetur, fertur ad eum quidam dixisse, ἀλλ᾽ εἰ κατ᾽ ἀλέξανδρον ἐγένου, κατὰ στίχον ἄν σοι κύπρον ἢ φοινίκην ἔδωκεν. Id est, At si tu in Alexandri tempora incidisses, in singulos ille uersus Cyprum aut Phœnicem tibi dedisset. Quemadmodũ enim fruges non tam ingenio soli, q̃ cœli beneficio, meliorec temperie lætius exuberant, ita & meliores artes eximiaque ingenia, benignitate, humanitateque principum uirorum euocantur & excitantur. Sic Archelaus Macedonum rex, Chœrilo poetæ de-

ſcribenti uictoriam Athenienſiũ aduerſus Xerſen, pro unoquoq; uerſu aureum ſtaterem numerari iuſſit. Hieron Archimelo Epigrãmatario poetæ propter unicum Epigramma in nauem ſuam ſcriptum, mille frumenti medimnos dono dedit, & ſuis ſtipendiis in Pyræum uſq; miſit. Imperator Seuerus Oppiano pro ſingulis uerſibus ſingulos aureos dono dedit. Ita ut ueteres ob eam rem aurea carmina Oppiani dixerint. Antoninus Pius nõ donis tantum & pecuniis literatos ornauit, ſed prouinciis præfecit, honoribuſq; q̃maximis honeſtauit. Dionyſius Syracuſanus Heliconem Cyzicenum talento donauit, quod Solis deliquium prædixiſſet. Lyſander ob pauculos uerſus Antilochi poetæ pileum argento impleuit. Quos uiros cum apud me memoria repeto, uerſibus iis alloqui conſueui.

Fœlices animæ, quæ uos tam læta tulerunt
Secula, uel tales qui uos genuere parentes.

Nec omnino contemnendum ſeculum fuiſſe deprehendimus, quo memorabiles illi ſcriptores, ac eruditiſſimi Epiſcopi, Saluianus, Eucherius, Claudianus, Salonius, Veranius, Vincentius, ac alii non multũ iis abſimiles uixerũt. Noſtra certe ætas ſic eſt inquinata flagitiis omnibus, ſic pernitioſis ſectis eſt (ut ita dixerim) diſſecta, ut cum nullo ſuperiore, quantumuis corrupto, ſeculo conferri poſſit, a principibus plane nihil eſt præſidii bonis ſtudiis, adeo ut uere dixerit ille, habere eos τὴν ψυχὴν ἐν ταῖς φάτναις

καὶ οὐ τῶν μουσῶν, ἀλλ' ὄνων ἐπιτηδειοτέραν ἀκούειν. Ex Episcopis q̃ paucissimi studiorum caussæ fauēt, nec scio, quo fatali tandem malo fere summi cum infimis in literarum cladem conspirauerint. Corruunt Academiæ fere omnes, frigent auditoria, iam non erudiendis adolescentibus, sed alendis porcis instituta. Tum a studiorum cultu (quæ malum est hæc insania) bona pars se Sellularibus artibus addicit. Sed quid facias, ubi res in manu tua non sit. Et recte Polynices apud Tragicum poetam admoneat, τὰσ τῶν κρατούντων ἀμαθίασ φέρειν χρεών. Ego interea ut me à conspectu malorū, quæ nostra tot per annos uidit ætas, uel aliqua ex parte auertam, sic me secretorum studiorum honestiss. uoluptati addixi, ut præterea susq; deq; faciam omnia, eius aūt secessus non aspernandum fructum ad te muneri mitto, nimirum Salonii Viennæ Galliarum Episcopi in Prouerbia Salomonis, ac Ecclesiasten, breuē quidem illam, sed insigniter eruditam interpretationē, quam cum nuper ab interitu uindicassem, neminem certe habui, cui potius illam & ob egregiam eruditionē, & incredibilem tuum in me amorem, q̃ tibi inscriberē. Habes itaq; à Brassicano tuo munus exiguum quidem, sed quod abūde magnū uideri queat, si sæpe lectum fuerit. Et memineris oportet, naturā nusq̃ magis esse totam & perfectam, q̃ in minimis. Vale bene uir optime ac amicissime, Viennæ Austriæ ex Regio Collegio. Anno a nato Iesu M. D. XXXI. Mense Decembri.

D. SALONII EPISCOPI VIENNENSIS ERUDITISS. DIAlogus prior, ad Veranium fratrem, in quo Parabolæ Salomonis non minus pie, q̃ erudite explicantur.

Colloquuntur Veranius & Salonius.



ERANIVS. PARABOLAE qua lingua dicuntur? Salonius. Græca, Latina uero interpretãtur Similitudines. Veranius. Quare Salomon huic libro nomẽ istud imposuit? Salon. Vt per hoc demonstraret quia nõ iuxta literam, sed aliter & spiritaliter intelligere debemus, quod dicit. Veran. Quid significabat Salomon, quod per parabolas locutus est? Salo. Dominum Iesum Christum, qui per parabolas locutus erat turbis Iudæorum. Nam & ipso nomine suo eundem Dominum Iesum Christum significat. Ver. Quomodo ergo interpretatur Salomon? Sal. Pacificus siue amabilis. Significat autem illum, de quo dicit Apostolus: Christus pax nostra, qui fecit utraq; unum. Et item: Pacificans per sanguinem suum, siue quæ in cœlis sunt, siue

ſunt, ſiue quæ in terris. Item quod Salomon amabilis interpretatur, aptiſſime illum ſignificat, cui loquitur pater, dicens: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ver. Quid ſignificat ipſo pacifico regni ſui ſtatu? Sal. Perenne Chriſti & Eccleſiæ regnum, de quo ſcriptū eſt: Et regni eius non erit finis. Ver. Quare iuxta Septuaginta Interpretum translationē hæc dicta Salomonis non parabolæ, ſed prouerbia nominantur? Sal. Sicut parabolæ dicunt, quia occulta ſunt, & ſecreta myſteria ſignificāt, ſic & prouerbia cōgrue uocant, quia talia ſunt quæ ſæpius in ore fideliū uerſari, & memoriæ commendari ac retineri debeant. Ver. Quid utilitatis parabolæ Salomonis tribuunt? Sal. Sapientiam uidelicet & diſciplinam, & hoc eſt quod ait: Ad diſcendam ſapientiā & diſciplinam. Ver. Quid diſtat inter ſapientiam & diſciplinam? Sal. Sapientia eſt diuinarum rerum cognitio. Diſciplina uero, eſt ſanctæ & puræ uitæ conuerſatio. Ver. Quid eſt ergo diſcere ſapientiam? Sal. Scire & intelligere, quomodo recte credere debeas. V. Quid eſt diſcere diſciplinam? Sal. Cognoſcere, qualiter unūquenq; oporteat uiuere, & quid operando conueniat agere, & quo debeat intentionem cordis dirigere. Sequitur, Timor Domini principiū ſapientię

Ver. Quot ſunt timores Domini? Sal. Duo, hoc eſt, ſeruilis & ſanctus. Ver, Seruilis quare dici

tur? Sal. Quia ueluti serui Domino seruimus timo re gehennæ, ne ad tormenta ducamur. Ver. Sanctus timor quare dicit? Sal. Quia sicut bonus filius timet, ne uel in modico offendat oculos amantissimi patris, sic & qui perfecti sunt in Ecclesia, timēt, ne peccādo offendāt oculos Dei. Ver. Quis ex illis duobus sapientior? Sal. Seruilis, quia quicunq; sapere incipit, hoc est, post peccata se cognoscit errasse, primo diuino timore corripitur, ne ad tormenta trahat. Ver. Timor uero sanctus quid operatur? Sal. Auget sapientiam, quoniam perfecta charitas foras mittit timorē illum seruilem. Timor uero sanctus permanet in seculū seculi. Ver. Quid est quod Salomon dicit: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum? Nunquid nō solent aues sæpe retibus capi? Sal. Solent utiq;. Ver. Qui sunt ergo isti pennati? Sal. Sancti & electi uiri, qui habent pennas fidei, spei, & charitatis, cæterarumq; uirtutum, quibus ad cœlestia cōtemplanda uolant, habent & spiritales oculos, quibus & insidias hostis antiqui præuident, & peccata præcauent. Frustra ergo, id est, in uanum iacitur rete ante oculos pennatorum, id est, Laqueus insidiarum Diaboli obiicitur sanctis & electis uiris, quia facile in terra superare possunt insidias Diaboli, qui suam conuersationem habēt in cœlis. Ver. Quæ est sapientia, de qua dicit Salomon; Sapientia foris prædicat, in plateis de

dit uo

dit uocē suam? Sal. Christi Iesu, qui est Dei uirtus & Dei sapientia, sicut dicit Apostolus. Ver. Hæc ergo sapientia quomodo foris prędicat? Sal. Intus prædicat, id est, in secreto, antequā pateretur, quia paucis, id est, solis discipulis mysteria suę diuinitatis ostendit: post resurrectionem uero suam prædicauit, quia misso desuper spiritu sancto, aperte se per Apostolos, ꝙ Dei filius esset, mundo declarauit. Ver. Quomodo in plateis dedit uocē suam? Sal. Quia quæ ante in secreto & in occulto, & in uno tantum Iudæorum populo docuerat, postea in latitudine plebium, & coram omnibus gentibus manifeste prędicat per Apostolos, iuxta hoc quod eis prę cepit, dicens: Quæ dico uobis in tenebris, dicite in lumine, hoc est, in manifesto: & quæ in aure auditis, prædicate super tecta, id est, aperte & coram omnibus. Ver. Quid est quod ait, In capite turbarū clamitat? Sa. Per caput designantur principes Iudęorum. In capite turbarum clamitabat, quia principibus Iudæorum homicidiū, quod in se patrauerant, palam per Apostolos ad memoriam reducebat, & eosdem ad pœnitentiæ remedium uocabat. Ver. Quomodo intelligendum est quod sequitur, In foribus portarum urbis profert uerba sua? Sal. Per urbem sancta designat Ecclesia, cōgregata de utroq; populo, Iudæorum uidelicet & gentium. Fores portarum huius urbis, sancti doctores fuerunt, qui uer

bum Euangelii prædicando, credentes in eam intro duxerũt. Sapientia ergo in foribus portarum urbis uerba ſua proferebat, quando Chriſtus in Apoſto lis ſuis loquebatur. V. Quid eſt quod ait, Inclina cor tuum ad intelligendã prudentiam? Quomodo poteſt homo inclinare cor? Sa. Ille inclinat cor ſuũ ad cognoſcendam prudentiam, qui humiliat ſe, & emundat animum ſuum a peccatis, ut dignus fiat ad percipienda myſteria Diuinitatis. Ver. Quid eſt quod dicit, Ne innitaris ſapientiæ tuæ? Quis enim innititur ſapientiæ ſuæ? Sal. Ille, qui ſua ſapientia, aut ſuis uiribus cõfidit ſe poſſe implere Diuina man data. V. Ecce iterum dicit, Ne ſis ſapiens apud te metipſum. Quis enim eſt ſapiẽs apud ſemetipſum? S. Ille certe, qui ſe præ cæteris quaſi doctor extollit & iactat de his, quæ ex dictis patrum recte cognoſce re ac intelligere potuit. V. Quæ eſt ſapientia uera hominis? S. Timere Dominum, & recedere a ma lo, & hoc eſt quod mox ſequitur, Time Dominum & recede a malo. V. Vnde ſcis, ꝙ hæc ſit uera ſapi entia hominis? S. Quia in libro Hiob ſcriptũ eſt: Ecce timor Domini, ipſe eſt ſapientia. Et recedere à malo, intelligentia. Ver. Quis ille homo, de quo Salomon dicit, Beatus homo, qui inuenit ſapientiã? Sal. Chriſtianus fidelis & catholicus. Ver. Quan do iſte inuenit ſapientiam? Sal. Cum doctrina ue ritatis, id eſt, Euangelii corporis ſimul & cordis per cipit

cipit, & in Scripturis sanctis Domini uoluntatem studet cognoscere. Ver. Quando affluit prudentia? Sal. Quando cum magno amore, & sui conditoris dilectione audit præcepta diuina, & opere studet implere. Ver. Quid est quod ait, Viæ eius pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ? Quæ sunt istæ uiæ sapientię? aut quæ sunt semitæ eius? Sal. Viæ sapiẽtiæ sunt actiones Domini, quas gessit in carne: siue doctrinæ ipsius, quæ cõtinentur in libris Euangelii, quæ uiæ pulchræ sunt, quia diuinæ. Semita sapientiæ, sunt præcepta & mandata Domini, quæ ad pacem æternam, pacificæ, quia omnia præcepta Domini ad pacem æternam perducunt. Ver. De qua lege, aut de quo cõsilio dicit Salomon, cum ait: Custodi legem atque consilium? Sal. De lege uidelicet ac consilio sapientiæ Domini Iesu Christi. Ver. Quæ est lex sapientiæ? Sal. Lex sapientiæ est, quæ dicit: Si uis ingredi ad uitam, serua mandata, id est, non occides, non mœchaberis, non furtũ facies &c. Ver. Quod est consilium sapientiæ? Sal. Si uis perfectus esse, uende omnia quæ habes, & da pauperibus &c. Ver. Quid est quod ait, Abominatio Domini est omnis illusor? Quis est illusor? Sal. Illusor est, qui uerba Dei peruerse intelligendo & docendo corrumpit. Illusor est, qui suos proximos simplices & pauperes insultando contemnit. Illusor est, qui magna Dei promissa quasi parua despicit, & pœ

nam æternæ damnationis quasi tolerabilem spernit Om̃es hos tales abominatur Dominus, & cum simplicibus est sermocinatio eius, quia illos gratia cœlestis sapientiæ illuminat, quia nihil in se duplicitatis habent. Ver. Quare Salomon dicit: Et ego filius fui patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea? Quomodo unigenitus fuit coram matre sua, cum præcesserit eum frater uterinus, sicut Scriptura sancta, libri Regũ, testatur? Sal. Verum est, quia præcessit eum frater uterinus, sed ille mox mortuus est, quasi nunquam fuisset, sine nomine ab hac uita discessit, propterea se unigenitum appellat. Ver. Quare dicit, Ne declines ad dexteram neq; ad sinistram? Quis enim se ita continere poterit, ut corpus suum in dextram partem aut in sinistram non declinet? Sal. Nemo, sed per dextram designatur uia bona, per sinistram uia mala & reproba. Non prohibet ambulare in dextra uia, sed declinare ad dexteram. Ver. Quis ergo declinat ad dexteram, uel ad sinistram? Sal. Iustus declinat ad dexteram, qui de sua iustitia & suis uiribus præsumit. Iniustus declinat ad sinistram, qui propter carnis fragilitatem saluari se posse desperat. Declinat ad dexteram, qui uult plus sapere, q̃ oportet sapere. Declinat ad sinistram, qui seruit stultitię. Ver. Cur ergo dicit paulo inferius: Vias quæ a dextris sunt, nouit Dominus? Sal. Per uias quæ a dextris sunt, designantur

 sanctæ

sanctæ actiones & opera bona. Hæc enim nouit Dominus, id est, dirigit, & placent illi, unde & econtra in iudicio dicturus est reprobis, Non noui uos, hoc est, non uos elegi, non enim mihi placetis, quia non uos uideo in luce mea, non uos uideo in iustitia mea. Ver. Quid est quod dicit, Ne des alienis honorem tuũ, & annos tuos crudeli. De quo honore dicit? aut quos uocat alienos? Sal. De honore dicit, quo factus est homo ad imaginem Dei. Alienos dæmones appellat, & est sensus: Ne honorẽ tuum, quo ad imaginẽ Dei creatus es, male uiuendo subdas immũdis spiritibus. Ver. Quem appellat crudelem? aut de quibus annis dicit? Sal. Annos uocat spacia uitæ. Crudelem, diabolum, & est sensus, Spacia uitæ, quæ tibi dedit Deus, male uiuendo ne tradas Diabolo. Ver. De qua cisterna docet Salomon bibere aquam? aut de quo puteo fluenta? cum dicit, Bibe aquã de cisterna tua, & fluenta putei tui? Sal. Cisternam uocat catholicam, id est, ueteris & noui testamenti doctrinam: puteum uero profunditatem & altitudinẽ eiusdem catholicæ doctrinæ: aquam, scientiam: fluenta, copiam & abundantiam scientiæ, id est, uarios sacræ scripturæ appellat intellectus. Docet enim his uerbis, cauere a doctrina hæreticorũ, & attendere lectionibus sacrarum scripturarum, & est sensus, Bibe aquam de cisterna tua, id est, serua, & opere imple doctrinam, quam aliis præ

cas. Et fluenta putei tui, id est, abundantia sermonis tui seu scientiæ affluenter in te redundet in operibus bonis. V. Quare dicit Salomon, Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, cum statim subiungat, Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui? Si fontes nostros foras deriuamus, & in plateis aquas diuidimus, quomodo soli eam habere possumus? Sal. Quamuis in uerbis sonare uideatur, tamen nulla est contrarietas, quia hæ sententiæ non possunt nisi spiritaliter intelligi. Fontes ergo nostros foras deriuamus, cum aliis uim prædicationis infundimus, cum uerba sacræ scripturæ aliis anunciamus. In plateis aquas diuidimus, cum populis prædicamus. Platea nanque dicta est a latitudine: est enim Græcus sermo. In plateis ergo aquas diuidimus, quando in multitudine auditorũ uerba scientiæ dilatamus, & iuxta uniuscuiusque qualitatem diuina eloquia dispensamus. Ver. Si aquas in plateis diuidere debemus, quomodo ergo eas soli habere possumus? Sal. Aquas in plateis diuidimus, quando aliis uerba diuina late prædicamus, & tamen soli aquas habemus, quia de ipsa prędicatione humanas laudes non quærimus. Ver. Quid est quod dicit, Ne sint alieni principes tui? Sal. Alienos uocat dæmones, de quibus dixit Psalmista: Alieni insurrexerunt super me, & fortes quasi animam meam &c. Tunc enim malignos, id est, immundos spiritus in

prædica

p̄dicatione participes et socios nobis facimus. Quando per superbiam intumescimus, & de prædicatiōe nostra inanem gloriā desyderamus. Ver. De quo homine dicit Salomon, Non apostata uir inutilis graditur ore peruerso? Sal. Apostatam hominem appellat schismaticū, qui laborat scindere unitatem Ecclesiæ. Ver. Qua lingua dicitur apostata? Sal. Græca, quod interpretatur in Latino sermone, refuga & recedēs a ueritate. Quare ergo schismaticus dicitur apostata? Sal. Quia more superbientis angeli intus prius intumescit, & cadit a mentis suæ statu, quia sic ab amore sui conditoris & a ueritate recedit. Nisi enim prius a ueritate recederet in Ecclesia, iniustitiam non disseminaret. Ver. Cur ergo de illo dicitur, Annuit oculis, terit pede, digito loquitur? Sal. Interior mentis custodia, quæ membra exterius seruat ordinata, hic ergo apostata, quia statum & custodiam perdidit, idcirco dominica membra exteriora habet ex more, tulit inordinata. Ver. Quid est quod de lege sua dicit, Liga eam in digitis tuis, scribe eam in tabulis cordis tui? Quis enim legem in digitis ligare potest? aut si fecerit, quę utilitas erit? Sal. In digitis dicit, id est, in actibus. Legem in digitis ligare est, quicunq; in bonis operibus eam studet implere & exornare. In tabulis cordis dicit, id est, in latitudine cogitationis. Scribit ergo legē in tabulis, cordis sui, qui eam cū gaudio suscipit, & memoriæ

commendat. Ver. Quid est quod sapientia dicit, Per mè reges regnant, & cõditores legis iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam? Quæ est hæc sapientia, per quam reges regnant, principes imperant, conditores legum & potentes decernũt iustitiam? Sal. Christus Dei uirtus & Dei sapientia. Ver. Nunquid Christus omnibus tyrannis impiis & principibus dat regnũ & imperium? Sal. Non utiq;, ueruntamen ipso permittente, impii reges & principes suscipiunt regnum uel imperia, quia scriptum est in libro Hiob: Permittit regnare hypocritam propter peccata populi. Sed in hoc loco reges, sanctos dicit Apostolos qui primum semetipsos, deinde Ecclesiam sibi commissam, fideliter regere nouerunt. Siue reges appellat omnes sanctos, qui seipsos & alios bene regere sciunt. Ver. Quos appellat conditores legũ? Sal. Vtriusq; testamenti scriptores. Ver. Quos uocat principes & potentes? Sal. Cæteros doctores & rectores fidelium. Omnes enim isti per sapientiam Dei patris habuerunt regnum, principatum & imperium, id est, per Christum acceperunt, ut aliquid boni essent, unde ipse dicit: Sine me nihil potestis facere. Ver. Quid est quod sapiẽtia dicit, Delectabar per singulos dies ludens coram eo, id est, coram patre omni tempore ludens in orbe terrarum. Nunquid sapientia, id est, Dei filius pueriliter ludebat

coram

coram patre? Sal. Absit. Sed quod dicit ludens, intelligendum est, gaudens. Ludebat enim per singulos dies, id est, gaudebat se esse unum, id est, unius substantiæ cum patre a principio ex diebus æternitatis. Ver. Quomodo ludebat omni tempore in orbe terrarum? Sal. Quia cum tempora, orbis & creaturæ esse cœpissent, ipse filius gaudebat, quia ipse quod erat, semper in patre manebat. Ver. Quid est quod ait, Sapientia ędificauit sibi domum? Quā domum ædificauit sibi sapientia? Sal. Sapientia, id est, Dei filius ædificauit sibi domum, quia ipse creauit hominē in utero uirginis, quem in unitate suæ personæ assumpsit. Ver. Quomodo excidit colūnas septem? Sal. Septem columnas excidit, quia per septiformem gratiam spiritus sancti erexit Ecclesias per orbem terrarum, quæ sicut columnæ sustentando continent memoriam eius, id est, mysterium incarnationis ipsius. Ver. Potest aliter intelligi? Sal. Vere potest. Sapientiæ domus Ecclesia Christi est. Columnæ autem domus huius, sancti doctores, quæ columnæ bene esse septem dicuntur. Quia sancti doctores repleti sunt septiformi gratia sancti spiritus. Ver. Quomodo ergo excidit sapiētia has columnas? Sal. Excidit colūnas, quia mentes prædicatorum ab amore præsentis seculi separauit, & erexit eos ad portandā eiusdē Ecclesiæ fabricā. Ver. De quibus ancillis dicit paulo inferius, Misit ancil

las suas, ut uocarent ad arcem & ad moenia ciuitatis? Sal. Ancillas uocat sanctos apostolos. Ver. Quare uocat eos ancillas? Sal. Propter insipientiam, infirmitatem & paupertatem, qua idiotas, infirmos, pauperes & despectos elegit apostolos, quos ad prędicandum misit in mundum, ut fideles populos uocarent ad arcem aeternae beatitudinis, & ad moenia coelestis Hierusalem. Ver. Quis est filius sapiens, qui laetificat patrem, aut quis est filius stultus, qui moestitia est matri suae? Sal. Ille, qui accepta fidei ac baptismatis mysteria bene seruat, et opere implet, filius sapiens est, ille proculdubio laetificat Deum patrē. Qui uero accepta fidei ac baptismatis sacramenta malis operibus, uel hęretica prauitate corrumpit, filius stultus est, hic nimirū est moestitia matri suae, uidelicet Ecclesiae, quia contristat eam. Ver. Quid est quod ait, Stultus labiis uerberabitur? Quomodo potest homo stultus labiis uerberari? Sal. Verberatio in hoc loco damnationem significat. Stultus ergo labiis uerberabitur, quia propter uerba iniqua & mala, quae locutus est, condemnabitur. Vnde & alibi dicit Moises: Et uita in manibus linguae, quoniam unusquisque aut ex uerbis suis condemnabitur, aut ex uerbis suis iustificabitur. Ver. Cur dicitur habere manus lingua, cum manus habere nō possit? Sal. Metaphorice dictum est, id est, per translationem, quemadmodū uenti dicuntur habere pennas.

Manus

Manus enim linguæ ipsa uerba sunt, quibus aut bene loquendo meretur uitam, aut mala loquendo meretur mortem, aliter per manus sæpe in scripturis sacris opera designantur, ut illud, Labores manuū tuorum quia manducabis. In manibus linguæ dicit, id est, in operibus. Opera etenim linguæ sunt colloquia bona uel mala, ex quibus mors nascit aut uita. Ver Quis ille piger, de quo dicitur, Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserūt eum? Sal. Piger est male uiuens catholicus, qui non laborat nec operatur, ut ad æternam beatitudinem peruenire mereatur. Per acetum & fumum hæreticorū designatur perfidia. Per oculos & dentes, prædicatores sanctæ Ecclesiæ, qui bene oculi dicuntur, quia recta itinera præuident. Pulchre etiam dentes, quoniam spiritualia alimenta fidelibus ministrare solēt. Ergo sicut acetum dentibus, & fumus oculis, id est, sicut perfidia hæreticorū est contraria bonis doctoribus, quia contristat eos, & molestiam illis gignit & lachrymas, sic piger, id est, catholicus malus, grauis est eisdem bonis doctoribus, qui miserunt eum, hoc est, qui iusserūt, ut fidem suam operibus impleret. Ideo grauis est, qui fidem suam prauis operibus destruit. Ver. Quid est quod ait, Manus in manu non erit innocens malus? Quomodo malus homo manus est in manu, & ideo non erit innocens? Sal. Qui manum iungit ad manū, nihil utiq; operatur,

malus ergo q̃ diu fuerit manus in manu, non erit innocens, quia etsi ad tempus subtrahit manus ab opere malo, tamen q̃diu malus est, innocentiam cordis habere non potest, unde superius dicit: Abominabile est Domino cor prauum. Ver. Quid est ergo manus in manu? Sal. Conscientia praua in opere malo. Ver. Quomodo intelligendum est quod ait, Circulus aureus in naribus eius, mulier pulchra & fatua? Sal. Hoc modo circulum aureum infixeris in naribus suis, id est, in naribus porci, ille dum pergit terram uertere ac fodere naso, immergit circulum aureum in uolutabrum luti, & tũc perdit circulus aureus decorẽ quem habuit. Similiter ergo mulier fatua, si habet pulchritudinem uultus, uel si accipiat ornamenta inaurium monilium, simul & uestimentorum, sordidat pulchritudinem suam, & amittit decorem, si se cœno libidinis coinquinare diligit, & adulteriis corrumpit. Ver. Spiritualiter autem quomodo intelligenda est hæc sentẽtia? Sal. Quicunq; sacras scripturas intente meditatur, & iugiter perscrutatur diuina eloquia, accipit ornamẽta scientiæ. Quod si male uiuendo corrumpit & destruit, quod bene intelligit, circulum aureum habet in naribus, sed more suis, uidelicet porci terram fodit, coinquinat & luto immergit, quia ornamentum quod per noticiam scripturarum immunda actione sordidauit, talis anima mulier pulchra & fatua: pulchra,

quæ

quæ per ſcientiam, ſed dedita carnalibus delectatio-nibus, fatua eſt per actionem. Ver. Quid eſt quod dicit, Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoq; inebriabitur? Plures nanque ſunt, qui alios inebriant, ſed ipſi non inebriantur? Non dicit hoc de corporali ebrietate, ſed de ſpiritua li anima, quæ benedicit impinguabitur, quia quæ-cunq; exterius prædicando benedicit, ſpiritualem benedictionem accipit, id eſt, gratia ſpirituali auge-tur & creſcit. Similiter qui ſacro eloquio mentes au-ditorum ſtudet inebriare, inebriatur & ipſe, ſancti ſpiritus infuſione repletur. Ver. Quare non dixit homo, ſed anima quæ benedicit impinguabitur? Sal. In ſcripturis diuinis ſæpius poni ſolet pars pro toto, aut totum pro parte, ſecundum ſpeciem Gram maticę artis, quæ dicitur Synecdoche, ſic ergo in hoc loco pars poſita eſt pro toto homine. Totum uero ponitur pro parte, ut illud, Tulerunt Dominum de monumento, Dominũ dicit pro corpore Domini. Ver. Quis eſt ille, de quo dicit, Qui abſcondit fru-menta, maledicetur in populis? Nunquid propter ea maledicendus eſt aliquis, quia non omnibus fru-menta ſua miniſtrat? Sal. Frumenta, uerba ſunt ſan ctæ prędicationis, ergo quicunq; abſcondit hæc fru menta, id eſt, uerba ſanctæ prædicationis apud ſe re tinet, & non uult annunciare aliis eloquia, iſte male-dicetur in populis, quia pro culpa ſilentii condem-

habitur, quoniam multis prodesse potuit, sed quia noluit, ideo pro multorum poena iuste punietur. Ver. Qui sunt illi qui uendũt frumenta, de quibus mox sequitur, Benedictio autẽ super capita uendentium? Sal. Illi uendunt frumenta, qui uerba uitæ & sanctæ prędicationis suis auditoribus annũciant. Ver. Quod precium accipiunt ab eis? Sal. Preciũ fidei, & confessionis sanctæ. Ver. Quomodo ueniet benedictio super eorum capita? Sal. Quia singulis eorũ dicturus est dominus: Euge serue bone & fidelis, quia &c. Ver. Quid est quod ait, Qui conturbat domum suam, possidebit uentos? Quomodo potest aliquis possidere uentos? Sal. Domum in hoc loco mentẽ appellat, in qua unusquisq; ueluti in domo habitat per cogitationes. Ventos, immundos spiritus appellat. Qui ergo domum, id est, mentẽ suam malis & noxiis cogitationibus perturbare non timet, iste nimirum possidebit uentos, quia per malas cogitationes uiam fecit dæmonibus, ut ingrediantur & habitent in ipso. Possidebit uentos, id est, dęmones ad condemnationem sui. Ver. Quomodo mulier diligens corona est uiro suo, & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit? Sal. Mulier bona & casta honorem uiro suo præbet in omnibus, & quia diligit eum, & bene regit domum ipsius. Corona illi est, quia eius uirtutibus addit gratiã, unde coronatur a Dño. Adultera

uero mulier, q̄uis foris uideat̃ speciosa, putredo tã-
mē est in ossibus, quia intus fetore luxuriæ suę mem
bra coinquinat. Ver. Quō intelligendū est q̄d ait,
Melior pauper est & sufficiēs sibi, q̄ gloriosus et indi
gnus pane? Sal. Vere melior est frater idiota et sim
plex, qui operat̃ bona quæ nouit, unde uitā æternā
mereat̃ habere in cœlis. Quā gloriosus, id est, clarus
doctrina & eruditione scripturarū, uel comptus do-
ctoris officio, qui indiget pane dilectionis, quia neq;
Dominū diligit, neq; proximū. Vel certe ideo pane
indiget, quia non operat̃ quæ intelligit, aut docet.
Ver. Quis est homo uersutus, qui cælat scientiam?
Sic ẽm dicit: Homo uersutus cælat scientiam Sal:
Versutus hoc loco in bona significatiōe ponit̃, id est
sapiens & prudēs. Vir ergo uersutus, id est, sapiens
& prudens aliquando de industria cælat scientiā, du
abus uidelicet de caussis: una, quia infirmis audito-
ribus non potest loqui quasi spiritualibus, sed quasi
carnalibus, id est, magna sacrarū scripturarū myste-
ria, quæ nouit, non audet illis manifestare, ne forte
scandalizent̃: altera, quia nō uult sanctum dare cani
bus, neq; mittere margaritas ante porcos. Ver.
Quid est q̄d ait, Vult & nō uult piger? Si uult, quo
mō ergo nō uult? Sal. Per pigrū ille designat̃, q se
nō uult exercere in bonis opibus: Vult ergo regnare
piger cū Deo, & nō uult laborare ꝓ Deo. Vult ꝑue-
nire ad beatitudinē, & tñ nō uult ꝑcepta Christi im-

plere, ut beatitudinem mereatur obtinere. De hoc enim Iacobus dicit: Vir duplex animo inconstans est in omnibus uiis suis. Ver. De quibus operibus dicit, Anima autem operantiū impinguabitur? Sal. De illis dicit, qui bona operantur, qui Domini student implere præcepta, illorū anima impinguabitur gratia spirituali, & dulcedine regni cœlestis. Quare impinguabitur anima illorū, qui bona operantur? Quia post labores uitæ præsentis inmarcessibili mercede remunerabitur. Ver. Quis est nuncius impii, de quo dicit, Nuncius impii cadit in malū? Sal. Nuncius impii, id est, angelus diaboli, Arrius fuit & Sabellius, cæteriq; hæretici angeli Sathanæ, isti nimirum ceciderunt in malum, id est, æternæ gehennæ tormentum. Ver. Quis est legatus fidelis, de quo sequitur, Legatus fidelis, sanitas? Sal. Legatus fidelis est unusquisq; catholicus prædicator et doctor, qui sibi, suisq; auditoribus sanitatem & salutem acquirit æternam. Ver. Quare dicit, Iacebunt mali ante bonos, & impii ante portas iustorū, cum in hac uita magis boni soleant iacere ante malos, & iusti ante portas iniquorum? Sal. In nouissimo iuditio coronatis iustis, impii condemnabuntur, qui eos in præsenti uita affligebant, & idcirco dicit, Iacebunt mali ante bonos, & impii ante portas iustorū. Attamen quod dicit, ante bonos, & ante portas iustorum, non ad uicinitatem loci pertinet, quoniam mali

mali & boni non sibi erunt tunc uicini, sed pertinet ad uisionem bonorum, quoniam boni semper uidebunt tormenta malorum. Vnde Deo liberatori suo maiores sine fine referant gratias. Ver. Quid est quod ait, Pondus & statera iuditia sunt Domini, & opera eius omẽs lapides seculi? Quomodo pondus & statera iuditia sunt Domini? Sal. Quia Dominus omnia in pondere, & mensura, & numero constituit. Pondus & statera iuditia Domini sunt, quia sicut ipse uoluit, unicuiq; mensuram fidei, & gratiã spiritus sancti distribuit. Ver. Quos appellat lapides seculi? Sal. Iustos et fortes in fide omnes lapides seculi, id est, sancti et electi uiri opera sunt Domini, quia nemo sua uirtute, nemo suo merito electus est a Domino, ut cœlesti ædificationi esset aptus, sed sola gratia & misericordia ipsius. Ver. Quid est qnod dicit, Corona senum, filii filiorum: & gloria filiorum, patres eorum. Si mali sunt filii filiorum, quomodo gloria sunt senum? id est, patrũ suorum: aut si patres mali sunt aut fuerunt, quomodo sunt gloria filiorum? Sal. Senes in hoc loco Patriarchas uocat et Prophetas, quorum filii sunt sancti Apostoli, & filii filiorum, successores Apostolorum, uidelicet sancti prædicatores. Omnes enim isti corona senum sunt, id est, Patriarcharum & Prophetarum, quia digna laude celebrant eos, per quorum exempla & uaticinia ad cognitionem gratiæ peruenerũt.

Ver. Quomodo patres gloria sunt filiorum? Sal. Magna quippe est gloria prædicatoribus noui testamenti, quia filii ueterum patrum, id est, Patriarcharum & Prophetarum esse meruerunt. Ver. Quare dicit, Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum? Nunquid ille qui clausam aquā decurrere dimittit, iurgia concitat? aut nunquid non magis uinum q̄ aqua iurgia concitare solet? Sal. Figurate hoc dictum est. Nam per aquam designatur lingua leuis, fluxa, & qui immodice linguam suam relaxat, caput est iurgiorum, quia qui linguam suam nō refrenat, iurgia & lites concitat, & cōcordiam dissipat. Ver. Dic mihi, quæso, quomodo in facie prudentis lucet sapientia, sicut ait Salomon: Oculi autem stultorum sunt in finibus terræ. Sal. Prudens homo sæpe in ipsa uultus claritate & faciei suæ solet præmonstrare grauitatem sui sensus, & claritatem intellectus. Stulti uero ad hanc imitandam & sectandam, uidelicet grauitatem, oculos mentis non possunt attollere, sed tota admiratione perquirunt, qualiter ad finem, hoc est, ad impletionem carnalium uoluptatum pertingere ualeant. Ver. Nunquid ita solummodo intelligere debemus? Sal. Neq; specialiter hoc de Christo debemus intelligere dictum. In facie nanq; prudentis, uidelicet Saluatoris, lucebat sapientia diuinitatis, quam ipse in carne apparens, uirtutum & doctrinæ testimonia demonstrabat et confirmabat.

Oculi uero ſtultorum, id eſt, Iudæorum non creden tium, magis incendebantur terrenis deſyderiis, q̃ ſa lutaribus eius monitis atq; doctrinis. Ver. Quid eſt hoc quod ait, Donum hominis dilatat uiam eius & ante principes ſpacium ei facit? Quod eſt hoc do num quod dilatat uiam hominis? quod ante princi pes facit illi ſpacium? Sal. Donum hoc donum eſt charitatis ſiue aliarum uirtutũ, quas a Domino fide les accipiunt, hoc uidelicet donũ hominis, dilatat ui am eius, id eſt, actionẽ, quia unuſquiſq; fidelis quan to amplius gratia ſancti ſpiritus intus repletur, tan to magis uiam ſuam foris dilatat, id eſt, bonorũ ope rum greſſum multiplicat, quia quotidie in ſanctis deſyderiis & bonis operibus creſcit & auget. Ver. Hoc donũ quomodo facit homini ſpatiũ ante prin cipes? Sal. Quia inter magnos Eccleſiæ rectores in foro tribuit illi culmen honoris, & gloriam æternæ beatitudinis. Ver. Quare dicit, Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuũ applicet eam? Quis enim eſt tam piger, qui comedendo uel biben do manum ad os ſuum non applicet? Sal. Qui ab ſcondit manum ſuam ſub aſcella, nõ uult utiq; ad ali quod opus uel laborem extendere illam, ergo per pi grũ deſignatur unuſquiſq; ſegnis & deſidioſus præ dicator, qui non uult opere implere quod dicit. Ma num quippe ad os porrigere, qui ſtudet opere im plere quod docet. Ver. Quis eſt ille piger, de quo

dicit, Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & nõ dabitur ei? Quod si piger tempore frigoris arare noluerit, nunquid æstatis tempore qui sibi aliquid tribuat inueniri non poterit? Sal. Sæpe nanq; pigri & frigore & æstatis tempore inueniunt, qui sibi tribuant eleemosynam, fideles, sed piger in hoc loco illum significat, qui propter desidiam, & huius mundi aduersitatem, quæ per frigus designatur, in Dei seruitio negligit laborare, & idcirco in futuro die iudicii mendicabit, quia non habebit opera bona, pro quibus mereatur accipere beatiudinem, quoniam quicquid seminauerit homo, hoc & metet. Ver. Cur ergo dies iuditii & regnum Dei æstati comparatur? Sal. Quia tunc omnia nostræ tristitiæ nubila transibunt, & uitæ illius dies æterni solis claritate fulgebit. Ver. De quo rege dicit; Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo? Sal. De illo qui est rex regum, & dominus dominantium, uidelicet Domino Iesu Christo, qui sedet in solio iudicii, quia pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Ipse nimirum dissipat omne malũ intuitu suo, quia respectu potentiæ omne malum etiam secretarum cogitationum penetrabit, ut reddat secundum quod egit, unde in Euangelio dicit: Nihil opertum quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur. Tunc iustis cum Domino coronatis, soli reprobi pœnas subibunt

bunt æternas. Ver. Quid est quod ait, Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile apud Deum? Sal. Pondus & pondus, mensuram & mensuram dicit, diuersum pondus & diuersam mensuram. Quantum ergo ad literam, quicunque in domo sua uarium habet pondus, uariamque mensuram, propter hoc utique habet, ut aliter libret metiaturque sibi, atque aliter proximo, quod est utique abominabile Domino, unde in lege Moisi, Dominus praecepit, dicens: Sit tibi aequus modius, iustusque sextarius. Ver. Quomodo autem spiritualiter intelligi debet? Sal. Ille in domo sua diuersum habet pondus, & diuersam mensuram, qui semper in suis actibus quaerit, unde ipse laudetur, & in aliorum actibus perscrutatur, unde ipsi uituperentur. Iste utique talis abominabilis est Deo, quia nimirum quantum sibi placere desyderat, tantum displicet Deo, qui omnia cordis secreta rimatur. Ver. Quomodo intelligendum est quod ait, Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur? Sal. Secundum literam solet emptor uituperare quod emere desyderat, et dicere, Malum est, malum est, uerum tamen si bene emerit, gloriabitur, cum recesserit. Ver. Spiritualiter autem quomodo intelligi debet? Sal. Ille ueraciter est emptor, qui sibi aeterna in coelis praemia comparare desyderat. Ipse nimirum emere studet terrenis coelestia, caducis mansura, temporalibus

æterna. Talis ergo emptor quicquid patitur in præsenti, malum esse dicit, quia malum esse intelligit. At tamen quia omia aduersa pro Deo patiēter sustinet, cum recesserit de mundo, tunc gloriabitur, quia perueniet ad beatitudinem. Ver. Item, quomodo intelligendum est, quod paulo post dicit, Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit? Sal. Hęreditas hæc acquisitio auaritiæ potest intelligi, ergo quicunq; per auaritiæ nequitiam in hac uita sibi diuitias multiplicare desyderant, necesse est, ut in futuro æternæ hæreditatis beatitudinem amittant. Aliter, quicūq; pro bonis operibus humanā laudem quærere desyderant, in principio quasi ad hæreditatem festinant, ideoq; in nouissimo benedictione carebunt, quia nullam remunerationem percipient a Deo. De talibus enim scriptum est: Amen dico uobis, quia receperunt mercedem suam. Ver. Quid est quod ait, Ruina hominis est deuorare sanctos, et post uota tractare? Quid est hoc, deuorare sanctos? Sal. Deuorare sanctos, est uoto se obligare. Impii autē deuorabant sanctos, quod uoto se obligabant, ubi persequerent̄ sanctos, & occiderent eos, quemadmodū quadraginta uiri Iudæi, sicut in Actibus Apostolorum loquitur: Deuouerunt se non manducaturos neq; bibituros, donec occiderent Paulum. Et Pagani, ut sæpe legimus, diis suis deuouerūt sanguinem Christianorū. Ver.

Quid

Quid est quod ait, Et post uota tractare? Sal. post uota promissa tractare, est sanctos persequi & distrahere, & quasi uile mancipiũ cõtemnere? Ver. Quomodo ergo ruina est hominis, deuorare sanctos, & post uota tractare? Sal. Si eñ peccatũ est alicui homini nocere, multo magis peccatum est, cum aliquis sanctos Dei persequitur, aut offendit, aut lædit, & idcirco ruina est illi, qui persequendo sanctos, æternæ damnationis sibi pręparat interitũ. Ver. Quomodo intelligendum est quod ait, Sicut diuisiones aquarũ, ita cor regis in manu Dei? Quare dixit cor regis tantum esse in manu Dei, & non omnium hominum? cum alibi scriptum sit: In manu eius sunt omnes fines terræ. Si omnes fines terræ in manu, hoc est, in potestate Dei sunt, & corda omnium hominum sunt in manu eius. Sal. Regem in hoc loco nõ illum debemus intelligere, qui rex est solo nomine, & temporaliter aliis imperat, sed unumquenq; uirum sanctum, fidelem, atq; religiosum Christianum, cuius milites sunt sacræ uirtutes, & ipse uitiorum bella in se bene uincere nouit. Sicut ergo Deus multifariis diuisionibus aquarum late fines terrarũ & aeris implet, ita cor regis quocunq; uoluerit, inclinabit, id est, ad quodcũq; bonũ uoluerit, conuertet, quoniam sicut diuisiones gratiarum Angelis & hominibus iuxta uoluntatem suam tribuit, ita corda regum, id est, sanctorum uariis donis replet, & diuer-

ſis ornat muneribus. Ver. Quid eſt quod ait, Vir qui errauerit a uia doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur? Qui ſunt iſti gigantes, in quorum cœtu morabiť, qui errauerit a uia doctrinæ? Sal. Gigantes appellat immundos ſpiritus, id eſt, dæmones, de quibus beatus Hiob dicit: Ecce gigantes gemūt ſub aquis, & qui habitant cum eis, id eſt, dæmones, & omnes quos ipſi deceperunt, & qui ſibi conſenſerūt ſub pœnis torquentur. Ver. Quare dæmones appellantur gigantes? Sal. Quia dęmones ſuperbi & elati ſunt, & male fortes, ſicut olim fuerunt gigantes. In cœtu ergo iſtorum gigantum, id eſt, dæmonum cõmorabuntur omnes, qui errauerunt a uia doctrinæ, id eſt, a uia ueritatis, quia ſimul cum dęmonibus torquebuntur in pœna æternæ damnationis. Ver. Quæ eſt ciuitas fortium, uel quis eſt ſapiens, de quo dicit, Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & detraxit robur fiduciæ eius? Sal. Ciuitatem appellat mundum, fortes dæmones. Mundus iſte quondam ciuitas fortium erat, quia idolorum cultui deditus, dæmonibus ſeruiebat, & fiduciam uitæ in cultu habebat, qui nõ ſunt dii, ſed opera manuum hominum. Ver. Quis eſt ergo ille ſapiens, qui hanc ciuitatem fortiū aſcendit? Sal. Ille filius uirginis, Dei uirtus & Dei ſapientia, qui tunc ciuitatem hanc aſcendit, quando natus in carne uiſibilis, mundo apparuit. Ipſe nimirum deſtruxit robur fiduciæ eius, quia ſub

uertit

uertit & abstulit de mundo cultum Deorum, in quibus confidebant gentiles. Ver. Quid est quod ait prouerbium, Adolescens iuxta uiam suam, & iam cum senuerit, non recedet ab ea? Nunquid nō multi recedunt a uia sua mala, quā ambulauerant in adolescentia? Sal. Vere plurimi inspirāte diuina gratia in senectute cōuertuntur a uitiis, quæ habuerunt in adolescentia, nec Salomon hoc fieri posse negat. Sed frequentius hoc contingere solet, ut mores quos homo discit in adolescentia, nō eos mutet in senectute, attamen non semper ita euenire confirmat, & idcirco ponit huiuscemodi prouerbium, ut omēs admoneat, quatenus a prima ętate uirtutibus & bonis operibus studeant insudare, ne forte in senectute non possint studia bonorum operum discere, quæ neglexerunt in tenera ætate. Ver. Quid est quod dicit, Fouea profunda os alienæ? Quæ est hæc aliena? cuius os est magna fouea? Sal. Os alienæ dicit os meretricis, qui ergo uerba meretricis libenter audit, & oscula eius delectabiliter suscipit, quasi ianuam pulsat profundæ foueæ, id est, inferni, & nisi cito se ab eius colloquio uel osculo subtrahat, deserēte se Deo, illico mergitur in foueam mortis, & hoc est quod dicit, Cui iratus est Dominus, incidet in illam. Ver. Quid est quod ait, Appone cor ad doctrinā meam? Et paulo post subiungit: Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia, ut ostenderem

tibi firmitatem & eloquia ueritatis. Quomodo tripliciter descripsit doctrinam suam & scientiam? aut quid est apponere cor, & intelligere doctrinā? Sal. Tripliciter uero doctrinam suam describit, quia unicuiq; praecipit, ut eam studeat implere cogitatione, locutione & opere. Ver. De quibus terminis dicit, Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui? Sal. Terminos antiquos dicit terminos ueritatis & fidei, quos statuerunt ab initio catholici doctores. Hoc ergo praecepit, ut ueritatem sacrae fidei & Euangelicae doctrinae nemo aliter susci piat, q̄ a sanctis patribus est tradita. Siue hoc praecipit, ut eloquia sanctarum scripturarum nemo aliter interpretetur, nisi iuxta uniuscuiusq; scribētis intentionē. Ver. Quae sunt opes illae, de quibus dicit, Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes, quia facient sibi pennas, & uolabunt in coelum? Quas pennas sibi opes, id est, diuitiae seu copiae facere possunt? Sal. Opes istae sunt arcana diuinitatis, & secreta coelestium mysteriorum, & est sensus: Ne erigas oculos tuae mentis ad perscrutanda diuinitatis arcana, & mysteriorum coelestium secreta, quae penetrare non potes, nec intelligere uales, quoniam solis aquilis haec patent, id est, supernis ciuibus tantū manifesta sunt. Ver. Quae sunt cellaria, de quibus dicit, In doctrina replebuntur cellaria uniuersa substantia praeciosa & pulcherrima? Sal. Cellaria

sunt

ſunt corda iuſtorum, qui per doctrinam ſapientiæ replentur ſubſtantia præcioſa & pulcherrima, id eſt donis uirtutum atq; bonorum operum. Ver. Quid eſt quod dicit, Septies enim cadit iuſtus, & reſurget? Si iuſtus eſt, quomodo cadere, id eſt, peccare dicit? Sal. Loquitur enim hic Salomon de leuibus et quotidianis peccatis, ſine quibus nullus iuſtorum in hac uita eſſe potuit, nec eſſe poteſt, ut alibi dicit: Benedicam Domino in omni tempore. Septies etiam ſignificat aliquando, ſæpe & frequenter, quod aptiſſime hic intelligi poteſt, Septies, hoc eſt, ſæpe cadet iuſtus & ſæpe reſurget, aut certe omni tempore cadit & reſurgit, ſcilicet gratia diuina, ſecundū quod ſupra dictum eſt. Ver. Quomodo intelligendum eſt, Præpara opus tuum foris, & diligenter exerce agrum tuum, ut poſtea ædifices domum tuam? Quod eſt hoc opus, quod foris præparare debemus? Sal. Opus uocat bonam actionem, ideoq; addidit tuum, hoc eſt, tibi utile & neceſſarium. Opus ergo noſtrum foris præparamus, cum actionem noſtram bene exterius componimus, & ut Deo placeat, ordinamus. Ver. Quomodo agrum noſtrum diligenter exercemus? Sal. Agrum diligenter exercemus, ſi a ſpinis uitiorum corpus noſtrum purgamus. Ver. Poſt agri exercitium domum noſtram quomodo ædificabimus? Sal. Si primo exterius actus noſtros bene cōponimus, tunc domum nobis bene ædificamus,

cum puritatem uitæ, & munditiam etiam cogitationum seruamus, & habitaculum nostræ mentis piis cogitationibus exornamus. Ver. Quis est Dominus, aut qui sunt reges, de quibus dicit, Gloria Domini, est cælare uerbum: gloria regum, inuestigare sermonem? Sal. Dominus iste Dei filius est, uidelicet Dominus Iesus, cuius gloria fuit cælare Verbũ, id est, se esse Dei filiũ, quia dum in carne apparuit, magis se hominem, q̃ Dei filium confiteri uoluit, ut diabolus eum non cognosceret, & ita passione sua genus humanum redimeret. Quoniam si eum diabolus cognouisset Dei filium esse, nunquam crucifixisset. Gloria quippe Domini fuit cælare Verbum, id est, in forma hominis, diuinitatis suæ occultare potentiam, ut dum infirmitatem carnis ostenderet diabolus, eum a passione retrahere festinaret, quatenus per ignorantiã passionis perueniret ad gloriam resurrectionis. Ver. Qui sunt ergo reges, quorũ gloria est, inuestigare sermonem? Sal. Reges isti sancti fuerunt Apostoli, qui diligenter sermonem Domini inuestigare studebant, quo se Domini fore significabant. Nam ubi nõ aperte se Dominum esse monstrabat, sed mystice uolebat intelligi, eius sermonem summa perscrutabãtur diligentia, quale est illud: Ego & pater unum sumus &c. Nam cum cælaret Verbi diuinitatẽ, & ostenderet carnis infirmitatem, interrogauit hos reges, dicens: Quem dicunt

homines

homines eſſe filium hominis? Cui regum eximius, uidelicet beatus Petrus Apoſtolus, inueſtigans ſermonem illius, quem antea ſæpe audiuit, continuo reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei uiui. Ver. Quid eſt quod ſequitur, Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile eſſe dicunt. Sal. Reges uocat Prophetas & Apoſtolos, qui reuelante ſancto ſpiritu arcana diuinitatis cognoſcere meruerunt. Per cor regũ deſignatur ſcientia & intellectus Prophetarum & Apoſtolorum. Ver. Quomodo ergo intelligendum eſt quod ait, Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile? Sal. Sicut altitudo cœli, & profunditas terræ comprehendi nõ poteſt ab hominibus, ita noſtræ fragilitatis capacitas non ualet comprehendere, neq; penetrare altitudinem ſcientiæ & intellectus Prophetarũ & Apoſtolorum. Ver. Quomodo ſibi concordant, aut quomodo ſibi conuenire poſſunt ea quæ dicit, Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis: &, Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe uideatur? Iſtæ nimirum ſententię ualde ſibi uidentur eſſe contrariæ. Sal. Vere bene ſibi concordant, ſi eas diligenter conſyderemus. Per hoc enim quod ait, Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, nos admonet, ut quia ſtultus ſapientiam non percipit, nos eius ſtultitiam non imitemur, ſed potius contemnamus & deſpiciamus, & quoties ei

loquimur, non turpiter, non furiose, non superbe, sed honeste, patienter atq; humiliter hoc loquamur sapiēter, ne illi similes efficiamur. Per hoc uero quod sequitur, Responde stulto iuxta stultitiam suam nos admonet, ut sapienter increpemus & redarguamus stultum, & manifeste demonstremus, quanta sit in eo stultitia, ne forte si non agnoscat stultitiam suam, se putet esse sapientem. Ver. Quis est ille susurro, de quo dicit, Verba susurrronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad interiora uentris? Sal. Susurronem appellat incentorem litis, & bilinguem, qui laudes uerborum simulat, & ideo quasi simplicia esse uidentur uerba ipsius. Sed perueniũt ad interiora uentris, quia susurro semper quærit audire, unde possit iurgia seminare, quibus stomachus indignetur, & omnia interiora perturbentur. Ver. Quis est ille amor abscōditus, de quo dicit, Melior est manifesta correptio, q̃ amor absconditus? Sal. Amorem absconditum in hoc loco amorem uocat illicitũ, id est, libidinosum, ut est amor adulterinus, qui pro sua turpitudine absconditur, ne a sapientibus redarguatur. Melior est ergo manifesta correptio, q̃ amor absconditus, quia multo melius est, aliquem ut corrigatur, manifeste increpare, q̃ studio simul peccandi occulte diligere. Ver. Quid est quod ait, Anima saturata calcabit fauum, anima esuriens amarum pro dulce sumet? Quomodo anima saturata fauum calcat? Sal

cat? Sal. Iuxta literam anima saturata fauum calcat, quia quicunque cibis repletus est, & dulcem contemnit ac despicit escam. Qui uero esurit, licet aliquam in cibis amaritudinem sumat, paruipendit. Ver. Spiritualiter autem quomodo intelligenda est hæc sententia? Sal. Anima saturata est anima diuitum, qui in præsenti uita habent consolationē suam, quoniam rerum temporalium copiis abundant. Vnde Dominus in Euangelio ait: Væ uobis qui saturati estis, quia esurietis. Anima ergo diuitum calcat fauū quia pro terrenis bonis spernit dulcedinē regni coelestis. Anima uero esuriens & amarum pro dulci sumet, quoniam qui esurit & sitit iustitiam, omnem amaritudinem pro dulcedine sumit, quia patienter sustinet omnem præsentis uitæ aduersitatē pro amore supernæ dulcedinis; id est, æternæ beatitudinis. Ver. Cui loquitur Salomon, cum dicit, Diligenter agnosce uultum pecoris tui, tuosque greges consydera? Nunquid lanigeros docet consyderare greges? Sal. Non, loquitur enim pastori Ecclesiæ, et est sensus, Diligenter curam impende, quibus præpositus es, & agnosce animos & actus singulorum, & si aliquam sorditatem uitiorum inueneris, citius castigare & emendare stude. Ver. Quare mox subiungit Non eñ habebis iugiter potestatē, sed corona tribuetur in generationem generationū? Sal. Vt pastor Ecclesiæ ouibus sibi commissis incessanter curam ad

hibeat, & est sensus, Non enim tu semper habebis potestatē pascendi oues Dominicas, sed corona tribuetur in generatione generationum, id est, æterna præparata est corona, quam & tu percipies, si bene paueris Dominicas oues. Ver. Quid necesse fuit Salomoni dicere, Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ uirentes, & collecta sunt fœna de montibus? Quis enim hoc dicit quod ignorat? Sal. Vere nullus, si hæc uerba tantum iuxta literam accipimus. Ver. Quomodo intelligenda sunt? Sal. Vere tantum spiritualiter. Ver. Quid ergo prata significant? Sal. Per prata designantur cœlestia mysteria quæ ideo prata dicuntur, quia pascua sunt animarū fidelium. Hæc enim prata, hoc est, diuina mysteria diu clausa fuerūt sub typis ac figuris legalibus. Ver. Quomodo, & quando aperta sunt hæc prata? Sal. Aperta quippe sunt prata, quia per gratiā Domini Saluatoris reuelata sunt cœlestia sacramenta, quando aperuit discipulis suis sensum, ut intelligerēt scripturas. Tunc apparuerūt & herbæ uirentes, hoc est nouæ sententię Euangelicę ueritatis et gloriæ. Ver. Quid significant fœna, quæ collecta sunt de montibus? Sal. Per montes designantur sancti patres ueteris testamenti scriptores. Per fœna scripta eorū. Collecta sunt fœna de montibus, quia scripta sanctorum ueterum patrum collecta sunt ad pabulum & ad refectionem ouium Dominicarum, id est, animarum fi

rum fidelium. Ver. Quid est quod ait, Pauper & creditor obuiauerunt sibi, utriusq; illuminator est Dominus? Quis est iste pauper & iste creditor, qui sibi obuiauerunt? Sal. Pauper est humilis uerbi Dei auditor, creditor autem est, qui pauperi, id est, humili auditori pecuniã uerbi Dei prędicando committit. Ver. Quando pauper & creditor obuiant sibi? Sal. Quando in unam eandemq; auditor simul & prædicator diuinæ pietatis gratiam conueniunt, unde pulchre sequitur, Vtriusq; illuminator est Dominus, quia sine gratia diuinę pietatis nec ille potuit prædicare, nec iste credere. Ver. Quid est quod ait, Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus? Quæ est hæc prophetia, qua deficiente, populus dissipabitur? Sal. Prophetia est sacerdotalis eruditio atq; doctrina. Ergo cum cessauerit doctrina & eruditio sacerdotũ, populus dissipabitur, quia cum deest admonitio & increpatio sacerdotum, suæ uoluntati & arbitrio relinquitur, & continuo uariis peccatis uitiisq; corrũpitur. Ver. Quomodo ignitus clypeus est omnis sermo Dei, sic enim dicit Salomon: Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se? Sal. Omnis sermo diuinæ authoritatis idcirco ignitus clypeus dicitur, quia corda electorũ, quæ spem suam in Deo ponunt, & igne charitatis accendit, & scientia ueritatis illuminat, & sordes uitiorum, quas in eis reperit, consumit, & purgat, & ab

insidiis hostium, cunctisq; defendit aduersitatibus. Ver. Quę est sanguisuga, cuius duas dicit esse filias sic enim ait, Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, affer affer, & nunquam satiantur? Sal. Sanguisuga diabolus est, qui semper sanguinem sitit, id est, ad peccata homines trahere cupit, & sitim peccandi incessanter accendit. Ver. Quæ sunt illæ duæ filiæ sanguisugæ, dicentes, affer affer, & nunquam satiantur? Sal. Luxuria uidelicet & auaritia, istæ nimirum spiritualiter diaboli sitim & ardorem imitantur, quia sicut nunquam peccando satiantur, sic nec auaritia nec luxuria. Nam quanto quisq; magis luxuriatur & fornicatur, tanto amplius delectatur. Similiter quanto quisq; sibi diuitias accumulat, tanto magis eas semper augmentare desyderat. Ver. Quare posuit Salomon exemplũ stellionis, dicens: Stellio nutritur manibus, & commoratur in ędibus regis. Sal. Vt pigros & ingenio tardos ad operandum & benedicendum prouocaret. Ver. Quod genus animalis est stellio? Sal. Genus lacertæ ualde pigræ, & colore uario, unde nomen accepit stellio, quia quasi stellis, id est, guttis distinctus & uariatus est. Ver. Quid ergo significat stellio? Sal. Illos significat, qui tardi sunt ingenio, & tamen quotidiano studio et diligentia magis æternam aulam conscendunt, hoc est, quamuis cum magno labore ad noticiam sacrarum scripturarum perueniunt, & pe-

netrare

netrare ualent secreta cœlestium mysteriorum. De talibus scriptum est in Euangelio: Qui habet, & dabitur ei, & abundabit, quoniam qui habuerit studium legendi, dabitur ei facultas intelligendi. Ver. Quæ sunt illa tria, de quibus Salomon dicit, Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit fœliciter? Sal. Leo fortissimus bestiarum, qui ad nullius pauet occursum, Gallus succinctus lumbos, & Aries, nec est rex qui resistat ei. Ista sunt quæ bene gradiuntur. Ver. Quem significat iste leo? Sal. Illum, de quo scriptum est: Sicut leo de tribu Iuda etc. Dominum scilicet Iesum Christum, qui fortissimus bestiarum dicitur, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Ver. Quod est illud infirmum Dei? Sal. Infirmũ fuit Dei, carnem nostræ mortalitatis assumere, sed hoc fortius est hominibus, quia ipse homo natus ex uirgine perfectus extitit Deus. Ver. Quare iste leo ad nullius pauet occursum? Sal. Quia peccatum nõ fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, unde ipse dicit in Euangelio: Ecce uenit princeps mundi, & in me non inuenit quicquam. Ver. Quid significat gallus succinctus lumbos? Sal. Sanctos prædicatores. Ver. Quare galli prædicatores dicuntur? Sal. Quia inter præsentis uitæ tenebras uerum mane, hoc est, ueram lucem prædicando, annunciant gloriam uidelicet æternæ beatitudinis. Ver. Quare isti galli suc-

cincti lumbos dicuntur? Sal. Quia sancti prædica tores in membris suis luxuriam & libidinem restinguunt. Ver. Quid significat aries, cui non est rex qui resistat? Sal. Per arietẽ sancti designantur confessores & sacerdotes, qui ueluti arietes gregem præcedunt, quia populum fidelem per exempla sua gradientem ducunt. Isti nimirũ arietes si spiritualiter & recte uiuant, nullus est rex, qui eis resistere ualeat, quia nullus est tam sæuus persecutor, qui eorum intentionem ualeat impedire, quia etsi eis mala ingeruntur, om̃ia patienter sustinẽt pro Christo. Ver. Quid est illud quartũ, quod incedit fœliciter? Sal. Ille, qui stultus apparuit, postquã erectus est in sublime. Ver. Quis est ille? Sal. Antichristus, qui eleuabitur in sublime, hoc est, in excelsum, quia cum fuerit homo nequissimus, dedignabitur se filiũ Dei nominare, sed mentietur se esse Deum. Ver. Eleuatus in sublime quomodo stultus apparebit? Sal. Quia in ipsa elatione & superbia sua subito diuino gladio percussus interibit. Ver. Quare de illis superioribus dicit, Tria sunt quæ bene gradiuntur? de isto uero, Quartum quod incedit fœliciter. Quare similiter de isto non dixit, incedit bene, sed ait fœliciter? Sal. Quia omne quod fœliciter incedit, semper non bene incedit: neq; omne quod incedit bene, semper fœliciter. Ver. Quæ sunt ergo quæ incedũt bene, aut quæ fœliciter? Sal. Illa bene

incedũt,

incedunt, quæ ambulant ſancte & iuſte. Illa incedũt fœliciter, quæ in hac uita habent proſperitatẽ ſuam. Leo, gallus & aries bene gradiuntur, ſed non fœliciter. Quia & Chriſtus Dei patris uoluntatẽ in omnibus compleuit, ſed multa aduerſa, & mortem ſuſtinuit. Similiter ſancti prædicatores & confeſſores diuinam ſtudent adimplere uoluntatem, ſed multas in hac uita ſuſtinent perſecutiones. Antichriſtus uero non bene incedit, quia ſuperbus contra Dei uoluntatem omnia faciet. Sed incedet fœliciter, quia, q̃uis ad breue tempus, in magna erit gloria & proſperitate. Ver. Quis eſt ille rex Lamuhel, de quo dicit, Verba Lamuhel regis uiſio, qua erudiuit eum mater ſua? Sal. Lamuhel Hebræa lingua dicit̃, Latine interpretat̃, in quo Deus. Ipſe nimirum eſt Salomon rex Iſrahel, in quo fuit Deus, quia niſi Deus in eo manſiſſet, tot & tanta diuina myſteria nec intelligere, nec ſcribere potuiſſet. Ver. Quæ fuit mater eius, quæ erudiuit eum, & docuit uiſionem? Sal. Secundum literam poteſt intelligi carnalis eius mater Berſabæe regina, quæ prudenter illum docuit. Sed mater in hoc loco nulla melius intelligitur, q̃ ſpiritualis & diuina gratia, quæ illum in corde inuiſibiliter erudiuit & docuit intellectum ſapientiæ, quã ipſe foris hominibus & prædicauit et ſcripſit. Ver. Quæ eſt mulier illa fortis, de qua dicit, Mulierem fortem quis inueniet? procul & de ultimis finibus

precium eius? Sal. Mulier fortis appellatur sancta Ecclesia catholica, quę ideo mulier dicitur, quia Deo spirituales generat filios ex aqua & spiritu sancto. Fortis ideo dicitur, quia cuncta seculi huius aduersa simul & prospera, propter fidem & amorem sui conditoris ac redemptoris contemnit & despicit. Ver. Quare dixit Salomon, Mulierem fortem quis inueniet? Sal. Quia per spiritum sanctum cognouit, quomodo nullus prophetarum, nullus omnino electorum sufficeret ad redemptionē humani generis, nisi solus mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus, ideoq; ait, Mulierem fortem quis inueniet? subauditur nisi Christus. Ver. Quare mox addidit, Procul, & de ultimis finibus precium eius? Sal. Vt ostenderet quia nō suo tēpore, sed longe post eū nec similis illi uenturus erat Christus, id est, purus homo peccatorū sordibus, sed in fine seculorū descēsurus erat de coelis Dei filius, qui natus ex uirgine, perfectus esset Deus & homo, & hoc est quod ait, Procul, id est, longe post, significat autem tempus quod fuit a diebus Salomonis, usq; ad partum uirginis. De ultimis uero finibus dicit, quia a summo coelo egressio eius. Ver. Quod precium dedit Dominus pro hac muliere? Sal. Semetipsum, sicut dicit Apostolus: Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam in odorem suauitatis. Ver. Mulier fortis quomodo facta est quasi

nauis institoris? sic em̄ dicit Salomon, Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. Sal. Institor dicitur negociator propterea, quia semper insistit, ut acquirat & multiplicet merces & lucra sua. Nauis ergo institoris onusta diuersis mercimoniis, quæ in sua patria magis abundāt, per mare pergit ad loca peregrina, ut illic uenditis omnibus illis, quæ attulit, chariora domum reportat. Sic ergo mulier fortis, id est, sancta ecclesia semper desyderat onerari uirtutum diuitiis, & abundare bonis operibus, nauigans per mare seculi huius, ut per ea mereatur, id est, acquirat maiora, id est, diuinæ gratiæ dona. Ver. Quis est huius nauis instructor? Sal. Dominus Iesus Christus, qui dedit preciū sanguinis sui, & redemit Ecclesiam. Sancta ergo Ecclesia ad exemplum instructoris, hoc est, Domini ac redemptoris sui semper sibi multiplicare laborat uirtutū atq; bonorum operum lucra, ut per ea mereatur maiora acquirere, id est, æternæ beatitudinis præmia, & hoc est quod ait, De longe portans panem suū, quia in om̄ibus bonis quæ temporaliter agit, solam tantum uiui panis facietatem desyderat, quia ęternam solummodo retributionem expectat. Ver. Quid est dicere, Sindonem fecit & uendidit, & cingulum tradidit Chananæo? Sal. Sindonē fecit Ecclesia, & uendidit, quia fidem quam credendo texuerat, loquendo dedit, ac ab infidelibus fidem rectæ conuersatio-

nis accepit, quare & Chananæo cingulum tradidit, quia per uigorem demonstratæ iustitiæ fluxa opera gentilitatis astrinxit, unde hoc quod percipitur, uiuendo teneatur. Ver. Quid est quod ait, Stragulatam uestem fecit sibi, Byssus & purpura indumentũ eius? Quæ est stragulata uestis? Sal. Stragulata uestis est, quæ uariata textura firmissima fieri solet. Ver. Quid ergo significatur per stragulatam uestem? Sal. Fortia opera sanctæ Ecclesiæ, & diuersa uirtutũ ornamenta, de quibus propheta dicit: Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato, circundata uarietate. Ver. Byssus & purpura quomodo indumentum eius mulieris, id est, sanctæ Ecclesiæ est? Sal. Byssus, est genus lini candidissimi, unde pulchre per byssum designatur corporis castitas, & sanctæ conuersationis puritas. Per purpuram uero sanguinis effusio designatur. Fortis ergo mulier, id est, sancta Ecclesia induit se bysso Dei, id est, seruat corporis castitatem, & sanctæ conuersationis rutilat nitore. Induit et se purpura, quando in ea sancti martyres pro Christi nomine sanguinem fundunt. Ver. Si byssus & purpura indumentum est sanctæ Ecclesiæ, cur ergo dicit in sequentibus, Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissima? Sal. Nulla est contrarietas, quia fortitudo refertur ad purpuram, decor uero ad byssi candorem. Est ergo fortitudo indumentũ Ecclesiæ sanctæ, quia propter si

pter fidem Christi, & iustitiã patienter sustinet malorum hominum improbitatem & persecutionem. Est & decor indumentum eius, quia operatur iustitiam, & se uirtutum gratia ornat. Ver. Quare autem dicit, Ridebit in die nouissima, cum Dominus dicat in Euangelio: Væ uobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis? Sal. In scripturis sacris risus gaudium significare solet, unde Dominus in Euangelio: Beati qui nũc fletis, quia ridebitis, id est, gaudebitis Et beatus Hiob dicit: Os autem ueraciũ replebitur risu, id est, gaudio. Mulier ergo fortis, id est, sancta Ecclesia ridebit in die nouissimo, id est, gaudebit in tribulatiõe regni coelestis. Ver. Qui sunt filii mulieris, qui eam beatissimam prædicauerũt? aut quis est uir eius, qui laudauit eam? sic enim dicit: Surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicauerunt filii eius, & uir eius laudauit eam. Sal. Filii huius mulieris, id est, sanctæ Ecclesiæ, sunt omẽs electi, uir eius Dominus est Iesus Christus. Surgent em̃ filii Ecclesiæ, uidelicet omẽs electi de puluere terræ, in nouissimo die iudicii & immortalitatis gloria decorati, matrem suam beatissimam prædicabunt, id est, laudabunt sanctã Ecclesiam, quæ illos genuit Deo ex aqua & spiritu sancto. Surget & uir eius, Dominus uidelicet Iesus Christus, cum in die iudicii manifestus apparuerit in potentia diuinitatis, & laudabit eam, dicens in iuditio: Venite benedicti patris mei, possi-

dete paratum uobis regnum ab initio mundi, Esurt ui, & dedistis mihi manducare &c. Ver. Cur ergo posuit præteritum, dicens: Surrexerūt? debuit eñ dicere, surgent. Sal. Quod ergo Salomon futurū nouerat, certissimum tenebat, & ideo more prophetico præteritum posuit pro futuro. Ver. De quibus dicit quod sequitur, Multæ filiæ congregauerūt diuitias, tu supergressa es uniuersas? Sal. Multas filias appellat Ecclesias hæreticorum, & turbas malorum catholicorum. Ver. Quæ filiæ dicūtur Christi uel Ecclesiæ? Quare dicuntur filii Christi aut Ecclesiæ? Sal. Propter fidei ac baptismi sacramentū, & adoptionem filiorum, quam in baptismate perceperunt. Ver. Istæ filiæ quas diuitias congregauerunt? Sal. Orationes, ieiunia, eleemosynas, afflictionem, & castimoniam carnis, linguæ refrenationem, meditationem scripturarum, et cæterorum bonorum operum diuitias, quæ ueræ diuitiæ sunt, si spirituali fiant intentiōe, uidelicet propter regni cœlestis retributionem, aliter nihil prosunt agentibus. Vnde filiæ uidelicet hæreticorum, aut turbæ malorum catholicorum, frustra congregauerunt sibi diuitias, quia uel in fide errauerunt, uel certe huiusmodi bona opera non spirituali fecerunt intentione, de quibus in Euangelio Dominus: Multi dicunt mihi in illa die, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, &

mus, & uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos. Sancta uero Ecclesia catholica supergressa est, hoc est, transcendit omnes illas filias, quæ quicquid boni agit, in fide tantum recta & spirituali operatur intentione. Ver. De qua gratia, & de qua pulchritudine loquit, cũ dicit? Fallax gratia, & uana pulchritudo, mulier timẽs Dominum, ipsa laudabitur. Sal. Fallax gratia humanæ laudis, quam hypocritę ab omnibus exquirunt. Pulchritudo uana est pulchritudo castitatis, uel bonæ operationis, quam hypocritæ hominibus ostendere cupiũt, ut ab eis laudentur. Ver. Quare hæc gratia & hæc pulchritudo fallax dicitur uana? Sal. Quia fallit, hoc est, decipit simulatores, quoniã dum in hac uita quærunt mercedem, in futuro nullam recipient remunerationem, & si castitatem seruãt, uel aliqua bona operant, uana sunt omnia quæ faciunt. Ver. Quæ est mulier timens Dominũ? Sal. Sancta uidelicet quæ in hac uita semper manet Ecclesia in timore Domini, quæ semper eius desyderat præcepta implere. Ver. Quomodo ergo laudabitur hæc mulier? Sal. Idem Salomon in fine huius libri manifeste demonstrat, cum dicit: Date ei de fructu manuũ suarum, & laudent eam in portis opera eius Ver. Cuius sunt hæc uerba? Sal. Viri illius Domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Ver. Quando hæc uerba dicturus est? Sal. In die iudicii, quan

do præcipiet Angelis, ut pòst finem huius uitæ Ecclesiam ad regni cœlestis gaudia introducant. Sic em̃ præcipiet Angelis: Date ei de fructu manuum suarum, hoc est, bonorum operum. Nam per manus opera designantur, ac si patiẽter dicat, quia fructum bonorum operum facere curauit, hoc est, charitatẽ, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modestiam, continentiam, fidem, patientiam, hoc fructu dignam illi reddite mercedem. Et laudent eam in portis opera eius, hoc est, in iuditio, siue in ingressu patriæ cœlestis laudant eam opera ipsa quæ fecit, hoc est, remunerentur pro bonis operibus, quæ gessit.

Finis Parabolarum Salomonis.

D. Salo

D. SALONII VIENNENSIS EPISCOPI DOctissimi, Dialogus alter, ad Veranium Fratrem, in quo Ecclesiastes quàm purissime exponitur.

Colloquuntur Veranius & Salonius.



ER. QVOT NOMINIbus uocatus est Salomon? Sal. Tribus, sicut scripturæ sacræ manifestissime docent, id est, Salomon, Ydida, & Ecclesiastes. Ver. Quare his noībus appellatus est? Sal. Salomon, id est, pacificus dictus est, eo q̄ in regno eius pax fuit. Ydida uocatus est, id est, dilectus Domini, quia dilexit eum Dominus. Ver. Ecclesiastes qua lingua dicitur? Sal. Græca, nam Hebraice Cohelecht dicitur. Ver. Quomodo sonat in Latino sermone Cohelecht, aut Ecclesiastes? Sal. Ille proprie dicitur Ecclesiastes, qui cœtum, id Ecclesiam congregat. Vnde Latino sermone recte Ecclesiastes dicitur Concionator, quia cōcionatur, id est, loquitur ad populum, & sermo eius non ad unum specialiter, sed generaliter dirigit̃ ad omnes

Concionator ergo in Ecclesia sancta dici potest prædicator. Ver. Quot libros ædidit Salomon? Sal. Tres tantum, iuxta numerum uocabulorũ suorum, Prouerbia, Ecclesiasten, et Cantica Canticorũ. Ver. Quid ait Salomon in Prouerbiis, aut quid docet in Ecclesiaste, uel Cantico Canticorum? Sal. In Prouerbiis docet paruulum, & per uarias sententias instruit quasi filium. In Ecclesiaste uero iam perfectæ ætatis uirũ imbuit, ut intelligat, quia in huius mundi rebus nihil est perpetuum, nihil gloriosum aut magnum, sed omnia sunt breuia, caduca, & uana, quæ cernimus. In Cantico Canticorũ, iam consumatum uirum atq; perfectum in omnibus, & uariis exornatum uirtutibus, sponsi, id est, Domini nostri Iesu Christi amplexibus iungit. Ver. Spiritualiter autem quid significat ille Salomon, Ydida & Ecclesiastes? Sal. Dominum Iesum Christum, qui est noster Salomon, id est, pacificans oĩa per sanguinem suum, fecit utraq; unum, id est, de duobus populis unam sibi construxit Ecclesiam. Vnde Apostolus: Christus, inquit, pax nostra, qui fecit utraq; unum. Ipse est & Ydida, id est, dilectissimus patris filius, de quo ipse pater ad discipulos ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipse nimirũ est Ecclesiastes, id est, cõcionator noster, qui congregat coetum, uidelicet sanctam Ecclesiam de uniuerso orbe terrarum, ad quem loquitur, dicens: Discite a

me, quia

me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis re quiē animabus uestris. Hic est filius Dauid, ad quē cæci in Euangelio clamabant, dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Hic est etiam rex Hierusalem, non terrestris, sed illius cœlestis, quæ est mater omnium nostrorum. Ver. Quid est quod dicit Ecclesiastes, Vanitas uanitatū, & omnia uanitas, cum scriptum sit in libro Genesis: Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant ualde bona. Si cūcta quæ fecit Deus ualde bona sunt, quomodo ergo omnia uanitas, & non solū uanitas, sed etiam uanitas uanitatum? Sal. Cœlum & terra, maria & omnia quæ in hoc circulo cōtinentur, per se q̄ bona sunt, quoniam a bono Deo creata sunt, sed comparata Deo, utiq; pro nihilo habenda sunt, quia semper Deus permanebit id quod est, illa uero omnia transibunt. Nam quæ uidentur, temporalia sunt, quia transitoria. Quæ autē non uidentur, æterna sunt. Ver. Quare bis replicauit sententiā suam, dicens: Vanitas uanitatum dixit Ecclesiastes, Vanitas uanitatum, & omnia uanitas? Sal. Ad exaggerandam magnitudinem uanitatum iterauit sententiam suam, ut per hoc demonstraret, quia omnis gloria mūdi sicut flos fœni marcescet, & sicut fumus pertransibit. Ver. De quibus generationibus dicit, Generatio præterit, & generatio adueniet? Sal. De generatiōe Iudæorum, & generatione gentium. Recedit enim generatio prima Iudæorū, quoniam

periit propter infidelitatem, & succedit ei generatio de gentibus, congregata uidelicet sancta fidelium Ecclesia, quæ per fidem Christi saluatur. Potest & sic intelligi, Generatio uade, & generatio ueni, id est, aliis morientibus, alii nascuntur, & quos prius uideras, iam non uides, & incipis uidere eos, qui ante non fuerint. Ver. Quare Salomon dicit, Terra in æternum stat, cum Dominus in Euangelio dicat, Cœlũ & terra transibunt? Sal. Vere iuxta Domini sententiam, cœlum & terra transibunt, per meliorationem, sed non per ablationem, quia igne iudicii purgata, meliorabuntur, quoniam renouabuntur, sed penitus non destruentur. Tantum quippe ardebit cœlum sursum, & terra deorsum, quantum malitia hominum simul & dæmonum coinquinari potuit. Ergo iuxta sententiam Salomonis, terra in æternum stabit, quoniam nunquam destruetur, ueruntamen renouabitur & meliorabitur. Ver. Quid significare uoluit Salomon, cum ait, Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiq; renascens, girat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem? Quis enim nescit, quod oritur sol & occidit, & per incognitas nobis uias regreditur ad locum suum, unde certus est ut iterũ oriatur? Sal. Hoc ideo Salomon dicit, ut ostenderet quia sol ipse, qui hominibus in lucem diei datus est, sua mutabilitate, id est, ortu suo & occasu, quotidie huius seculi monstraret interitũ. Per

has nanq;

has nanque mutationes temporum, et per ortum sydérum et occasum docet Salomon, quod humana ætas quotidie oritur & occidit. Ver. Quid sol in hoc loco spiritualiter significat? Sal. Illum uerum solem, Dominum uidelicet Iesum Christum, qui est sol iustitiæ, de quo dicit propheta: Vobis qui timetis Deum orietur sol iustitiæ. Iste sol iustitiæ quotidie oritur timentibus se, id est, fidelibus suis, uidelicet sanctis & piis hominibus. Occidit etiam Meridie pseudoprophetis, id est, hæreticis & malis catholicis, quia propter peccata sua lumen gratiæ ipsius amittunt. Occidit & infidelibus, quia luce fidei non merentur illustrari. Ver. Quid est quod ait, Omnia flumina currunt in mare, & mare non redundat, ad locum unde exeunt reuertuntur, ut iterum fluant? Quis enim nouit, quod ad locum suum flumina reuertantur, ut iterũ fluant? Sal. Nouit Ecclesiastes ille, scilicet Salomon, per gratiã sancti spiritus. Sed iste noster Ecclesiastes, uidelicet Iesus Christus, qui est ipsarum aquarum conditor, per potentiam diuinitatis, qua æqualis est Deo patri, plenissime nouit: quia flumina quæ in mare currũt, in abyssum defluunt, & per occultas uenas ad capita fontiũ reuertuntur, & de matre abysso iterum ebullire incipiunt. Ver. Spiritualiter autem quid significãt hæc flumina? Sal. Per hæc flumina designantur sancti prædicatores, qui cum uirtutibus emicant, doctrinis coru

ſcant. Vere flumina ſunt, quoniam aridam terram carnalium cordium ſancta ſua prædicatione ſimul et operatione irrigant, ut ferant bonorum operum fructus. Ver. Quomodo ergo reuertuntur hæc flumina ad locũ unde exeunt, ut iterum refluant? Sal. Quia ſancti prædicatores in omni doctrina & opere quod faciunt, ad laudem ſui creatoris recurrunt, ut Domino authori ſuo laudes & gratias referant, per quem ut talia facerent, & omne bonum ſuum acceperunt. Semper etenim ad fontem ueri luminis reuertũtur, ne forte areſcant & exiccentur, ut ex eo aquam ſcientiæ, & gratiam uirtutũ accipiant, ut iterum fluant, hoc eſt, & ſemetipſos bonis operibus repleant, & aliorum corda fluentis doctrinæ ſpiritualis infundant. Omnes etiam fideles flumina ſunt, & hæc flumina ad locum unde exeunt, reuertuntur, quoniam per ſancta deſyderia ad amorem ſui conditoris redeunt, & de omnibus bonis laudes & gratias illi referunt, a quo ea perceperunt. Ver. Quare dedit Salomon cor ſuum, hoc eſt, ſolicito corde ſtuduit, ſcire prudentiam atq; doctrinam, erroreſq; & ſtultitiam. Bonum quippe eſt, ſcire prudentiã atq; doctrinam, quid autẽ boni eſt, ſcire errores atq; ſtultitiam? Sal. Sicut enim bonum eſt, ſcire prudentiam & doctrinam, ita uere bonum eſt, errores ſcire & ſtultitiam. Quoniam prima ſapientia eſt, carere ſtultitia, carere uero ſtultitia nemo poteſt, niſi qui intellexerit eam.

Similiter

Similiter nemo errores uitare poteſt, niſi qui intelli-
git eos, propterea in rebus terrenis plurima ſunt no
xia creata, ut dum ea uitamus, erudiamur ad ſapien-
tiam. Ver. Quare fuit æquale ſtudium Salomoni
ſcire prudentiam & doctrinam, & econtrario, erro-
res & ſtultitiam? Sal. Vt dum appeteret alia, & ad
alia declinaret, id eſt, apprehenderet bona, & deuita
ret mala, uera eius probaretur ſapiẽtia. Ver Quid
eſt quod Salomon dicit, quia in multa ſapientia mul
ta ſit indignatio: & quod addit ſcientiã, addit et labo
rem, quomodo multa eſt indignatio in multa ſapi-
entia? Sal. Ideo in multa ſapientia multa eſt indi-
gnatio, quia quanto quiſq; maiorẽ ſapientiam per-
cipit, tanto amplius ſibi indignatur, & dolet ſe uitiis
& peccatis ſubiacere, & non habere uirtutes. Nam
quanto quiſq; plus in ſapiẽtia proficit, tanto magis
ſibi iraſcitur de malis operibus quæ geſſit, & contri-
ſtatur & dolet ſuper peccatis ſuis, & ideo qui addit ſa
pientiam, addit et laborẽ, quia quanto amplius cœle
ſtia & æterna cognoſcit, tanto magis dolendo & flen
do laborat, ut errorũ laqueos euadere poſſit, & libe-
rari ualeat de huius ſeculi miſeria. Ver. Quare di-
cit, Riſum deputaui errorem, & gaudio dixi, cur fru
ſtra deciperis, cum hominum naturale ſit ridere, &
Dominus in Euangelio dicat: Gaudete & exultate,
quoniã merces ueſtra magna eſt in cœlo? Sal. Nõ
reprehendit Salomon riſum naturalem, id eſt, mo-

destum & honestum, unde alibi dicit: Vir sapiens tacitus ridebit. Sed risum dissolutum & immoderatum atq; perstrepentem appellat errorem, talis nempe risus uocatur cachinnus. Similiter non spirituale sed temporale gaudiũ uocat deceptionem. Illi uero qui præterita mala sua nõ plangunt, neq; intelligũt ruinam peccatorum suorum, cachinnant et gaudent in rebus temporalibus, quia noua & breuia putantur esse bona perpetua, & idcirco suauitate præsentis uitæ decepti, quotidie huius seculi errore uexantur.
Ver. Quid est quod ait, Vidi in omnibus uanitatẽ & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole? Quomodo dicit nihil permanere sub sole, cum superius dixerit, terra autem in æternum stat? Sal. Nihil em̃ permanebit sub sole, quod non transeat, quoniam omnia uana sunt. Vnde in Euangelio ait Dominus: Cœlum et terra transibunt, attamen terra in æternum stabit, quia nõ funditus destruetur, sed meliorabitur, sicut dictum est superius. Ver. Quare dicit, Sapientis oculi in capite eius, stultus autem in tenebris ambulat? Nunquid oculi stulti non sunt in capite ipsius? Sal. Oculi in hoc loco non possunt corporales, sed spirituales intelligi, oculi uidelicet mentis, id est, sensus & intentiones animi. Per caput uero designatur Christus, unde Apostolus ait: Caput uiri Christus. Oculi uiri sapientis in capite sunt, quia uir sapiens omnem intentionem suam ad Christum di

ſtũ dirigit, & in Chriſto collocat, & oculos ſuæ mentis ſemper ad cœleſtia meditanda ſubleuat, ſtultus uero in tenebris ambulat, quia & ſtultitiæ ſimul, & peccatorum ſuorum tenebris obſcuratur, & amore huius mundi obſcuratur, odit enim cœleſtia, et ideo nõ poteſt ſicut uir ſapiens ad cœlum oculos ſuos erigere, quia nõ cogitat ea quæ Dei ſunt, ſed quæ huius ſeculi. Ver. Quid ergo diſtat inter uirum ſapientem & ſtultum? Sal. Hoc diſtat, quia iſte ſapientia & claritate illuſtratur & exornatur, ille uero errore ſtultitiæ ſuæ obtenebrat & deturbatur. Tantũ quippe diſtat inter ſapientem & ſtultum, quantum inter diem & noctem, lucem & tenebras. Ver. Quomodo tantũ diſtat inter ſapientem et ſtultum, cum unus ſit interitus utriuſq;, ſic enim moritur doctus ut indoctus, ſapiens ut inſipiens? Sal. Quãuis unus ſit occaſus, & ſimilis mors ſapientis & ſtulti, & ſæpe in hac uita magis affligitur ſapiens, q̃ ſtultus, tamen nõ erit ſimilis memoria in futuro, nec æqualem percipient remunerationem. Quoniam ſapiens in die iudicii ad regni cœleſtis eleuabitur gloriam, ſtultus uero demergetur in æternæ dãnationis tormenta. Ver. Quis eſt ergo iſte ſapiens, qui tantum diſtat a ſtulto quantum lux a tenebris? Nunquid ille qui philoſophicæ tantum diſciplinæ pollet affluentia, uel liberalium artium ſplendet eloquentia? Sal. Nonnunq̃ ſecularis prudentia inimica Deo eſt, & carnalis ſapi-

entia,quamuis eloquentiæ floribus exornetur, nullum tamen in se spiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet. Sed ille ueraciter est sapiens, qui Dominum diligit, qui eius mandata custodit, & quantum possibile est humanę fragilitati, eius uoluntatem in omnibus studet implere, de quo paulo inferius dicit, Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiã, & scientiam, & lætitiam. Ver. Quare statim subiungit, Peccatori autem dedit afflictionem & curam superfluam? Si enim Deus peccatori homini dedit curam & solicitudinem superfluã habere, quid ergo ipse peccat, si curis superfluis atq; solicitudine rerum temporaliũ affligitur? Sal. Causa superfluæ curæ atq; malæ solicitudinis non est in Deo, sed in illo qui ante sponte sua peccauit, quia peccatis suis exigentibus promeruit, ut haberet curam superfluam & solicitudinem, & ideo quod ait, Peccatori autem dedit curam superfluam, intelligendum est, suis meritis exigentibus, dari permisit, uidelicet quia peccator fuit. Ver. Quid uult demonstrare per hoc quod ait, Omnia tempus habent? Quod si omnia tempus habent, ergo æternæ diuinitatis substantia tempus habet. Sal. Absit, illa quippe ineffabilis & ęterna maiestatis diuinę essentia, quæ omnia creauit ex nihilo, non loco clauditur, non tempore coangustiatur, non ullo spacio terminatur. Et idcirco Salomon, ut ostenderet de quibus hoc dixerit, statim sub

tim ſubiunxit, dicens, Et ſuis ſpaciis tranſeũt uniuerſa ſub cœlo. Vult enim demonſtrare, ꝙ contraria ſibi ſunt omnia, quæ in mundo ſunt, et nihil eſt perpetuum ex omnibus quæ ſub cœlo ſunt, & iſta tempus continent. Ver. De qua plantatione ait, de qua euulſione loquitur, cum dicit, Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum eſt? Nũquid de plantatiõe aut euulſione arborum aut herbarum dicit? Sal. Nõ, ſed de natiuitate & morte hominũ: nam quod ſuperius dixit, Tempus naſcendi, hoc eſt quod ſequitur, & tempus plantandi, hoc eſt enim plantare quod naſcitur. Quod ſupra dicit, tempus moriendi hoc eſt quod hic ſequitur, tempus euellendi id quod plantatum eſt. Nam euelli hoc eſt, quod & mori. Soli quippe Deo notus eſt ortus & occaſus hominum, id eſt, tempus naſcendi, & tempus pereundi, & tẽpus plantandi, & tempus euellendi. Quoniam ipſe inſtituit, & tempus in quo unuſquiſꝗ naſceretur & plantaretur ad uitam, & tempus in quo moreretur, et de hac uita euelleretur, hoc eſt, per ſententiam mortis eradicaretur. Ver. Quid eſt quod iterum dicit, Tempus occidendi & tempus ſanandi? Nulli quippe dubium, quod tempus ſanandi a Deo conceditur, ſed nunquã Deus inſtituit tempus occidendi alium, aut eum quem ſemel occiderit homo poterit nunquam ſanare? Sal. Non utiꝗ, ſed illi ſoli eſt tempus occidendi, & tempus ſanandi, qui per

Moiſen loquitur, dicens: Ego occidam & ego uiue-re faciam, percutiam & ego ſanabo. Ipſe nimirum ſtatuit tempus, in quo peccatores occidantur, & ſanentur infirmi, hoc eſt, peccatis languidi. Tunc enim occidit, cum uel corporis infirmitate, uel aliqua mundi huius aduerſitate peccatores affligit, ut corrigantur & moriantur peccatis, & uiuant Deo. Sæpe nanque Deus ideo flagellat ſceleratos, ut eos occidat et ſanet, id eſt, ut deſinant eſſe quod ſunt, et incipiant eſſe q̃d non ſunt. Eſt ergo tempus ſanandi, cum Deus omnipotens eos quos occidit, id eſt, aduerſitatibus miſericorditer afflixit, per occultam inſpiratione compungit, & ad pœnitentiam prouocat. Ver. De qua deſtructione uel ędificatione loquitur, cum dicit, Tempus deſtruendi, & tempus ędificandi? Nunquid de ædificatione ac deſtructiõe domorum loquitur? Quid enim nobis prodeſſet, ſi hoc diceret? Quis enim neſcit quoniam alii deſtruunt, et alii ædificant domos? Sal. Non hic loquitur Salomon de domorum, ſed de malorũ deſtructione, & ædificatione bonorum, quoniã neceſſe eſt prius mala deſtruere, & ſic bona poſtea ædificare, iuxta illud Pſalmiſtæ: Declina a malo, & fac bonum. Hoc ergo dicit, quia tempus eſt deſtruendi mala, & tẽpus eſt ædificandi bona. Quoniam in præſenti uita conceſſum eſt nobis tempus a Deo, ut deſtruamus mala, & ędificemus bona, id eſt prius in nobis per pœnitentiam deleamus peccata,

postea uero per sancta desyderia uirtutum construamus ædificia. Ver. Quare dicit tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tẽpus saltandi? Quis enim ignorat? quia alio tempore flemus, alio autem ridemus, aut quid profuit dicere tempus saltandi? Nunquid forsitan ostendere uoluit, quia oportet nos saltationum exercere ludicra? Sal. Ab sit, nihil oportet nos scurriliter agere, sed tẽpus flendi est uita pręsens, tempus ridendi uita futura. Qui ergo in præsenti uita quotidianis fletibus & lachrymis se purgare studuerit, in uita futura ridebit, id est gaudebit. Similiter tempus plangendi est uita præsens: tempus saltandi est uita beata. In motu nanq; saltationis homo suæ mentis gaudium, & animi demonstrat affectum. Qui ergo in hac uita plangendo studet abolere peccata, in futura uita saltabit, id est, lætabitur & exultabit in gloria æternæ fœlicitatis. Ver. Quid est quod ait, Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi? Quid enim prodest lapides spargere, aut quid prodest colligere, nisi forte domum aliquis uelit ædificare? Sal. Non de hac caussa loquitur Salomon, sed de gentium dispersiõe & collectione. Nam per lapides gentes designantur. Vnde Iohannes. Potens est, inquit Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Tempus enim fuit spargendi lapides ante aduentum Domini, quia gentiles non permanserunt in unitate fidei, sed receden-

tes a Deo dispersi sunt, quia uarios Deos adorabāt, & diuersa idola colebant. Tempus autem fuit colligendi lapides post aduentū Domini, quia sicut Apostolus dicit: Vbi uenerit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Tūc quippe cœpit colligere lapides, quia peracto passionis ac resurrectiōis suæ mysterio, direxit Apostolos suos in uniuersum terrarum orbem, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti. Deinde celebrato quadragesimo die mysterio ascensionis in cœlos, mox ut ab Apostolis fama nominis eius diffusa est longe lateq; per mundum, lapides, id est, gentiles, qui erant dispersi per uariam idolorum culturam, collecti sunt, quia resipiscentes, & abominantes idola in unitatem fidei cōuenerunt.

Ver. Cur iterum dicit, Tempus dilectionis & tempus odii, tamen Iohannes Apostolus dicit: Qui oderit fratrem suum, homicida est. Et in Euangelio dictum est: Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit. Item: Qui nō odit patrem suum & matrem, fratres & sorores, uxorem & filios, ad huc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Dic ergo quando tempus est dilectionis, & quando tempus odii? Sal. Et nunc quidem tempus est dilectionis, quoniam post Dominum dilige

re debe

re debemus patrem & matrem, uxorem & filios, & cæteros propinquos. Odii uero tempus, quia pro Christi confessione contemnere simul & odisse debemus & patrem & matrem, omnesq; propinquos, si nobis in uia Domini fuerint contrarii, sicut sancti martyres sæpe fecisse legũtur. Ver. Quid est quod rursum dicit, Tempus belli & tempus pacis? Quomodo tempus est belli? cum Dominus in Euangelio dicat: Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es cum illo in uia. Et item: Si quis percusserit te in dextram maxillã tuã, præbe illi & alterã: & qui uoluerit auferre tunicam tuam, dimitte illi & pallium. Sal. Vere nobis semper est tempus belli & pugnæ, q̃diu in præsenti uita sumus, quoniam semper necesse nobis est pugnare aduersus insidias hostis antiqui, & æreas, id est, malignorum spirituum debellare potestates. Pacis uero tempus erit, cũ de præsenti seculo migrauerimus, quoniam si bene pugnauerimus in hoc seculo, in futuro coronabimur, & in cœlesti Hierusalẽ ęterna pace requiescemus. Ver. Quare dicit Cuncta fecit Deus bona in tempore suo, cum superius dixerit omnia uanitatem esse? Si omĩa uana, quomodo ergo bona sunt? Sal. Omĩa uana sunt, quia transitoria, uerũtamen cuncta bona sunt, quoniam a Deo bono creata, & bona quæ sunt, nõ tamen semper, sed in tempore suo. Nam bonum est uigilare, bonum etiam est dormire, attamen semper uigilare,

aut semper dormire nō est utiq; bonū. Ver. Quare dubitando loquitur Salomon, dicens: Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus iumentorum descendat deorsum? Quis enim ignorat, quia spiritus iumentorum, id est, pecorum, cunctorumq; brutorum animalium simul cum corpore dissoluatur? Spiritus uero filiorum Adam, id est hominum, non simul cum corpore dissoluitur, sed mox ut egredietur de corpore, aut deducitur ad gloriam, aut demergitur in pœnam. Sal. Paulo superius ostendit Salomon, quia quantū ad corporis uilitatem, nihil distat inter iumentum & hominem, quia sicut moritur iumentū, moritur & homo. Sed ut ostenderet, quia secundū animæ dignitatem multum distat homo a iumento & pecore, idcirco disiunxit, dicens: Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum? Ostendit enim, quia hæc sola differentia est inter homines & bestias, quoniam hominis spiritus ascendit in cœlum, & spiritus iumenti seu pecoris descendit in terram, quia moritur & simul dissoluitur cum carne. Ver. Cur ergo dicit Salomon, quis nouit? quasi nemo sit, qui hoc cognoscere possit. Sal. Ideo ait, quis nouit? ut difficultatem rei demonstraret, nam quis in scripturis sacris non impossibilitatem, sed difficultatem aut raritatem significare solet, sicut est illud: Generationē autem eius quis

enarra

enarrabit? hoc eſt, aut nullus, aut perrarus. Nam q̊d impoſſibile eſt fieri, nullatenus poteſt, q̃uis cum magno labore. Ergo ideo dicit, Quis nouit, quia perrarus, aut certe difficile inuenitur, ita ſpiritualis homo qui tunc perfecte comprehendere ualeat, cum de corpore ſpiritus egreditur, utrum aſcendat, an ducatur ad pœnam? Ver. Quid ſignificant ſpiritualiter iſti filii Adã, aut illa iumenta? Sal. Filii Adam ſignificãt ſanctos & electos uiros, qui merito appellantur hoĩes, quia rationaliter ſancte & ſpiritualiter uiuũt, per iumenta uero deſignãtur carnales, quia propterea iumenta uocantur, quoniam beſtialiter & carnaliter, ſicut iumenta & pecora uiuunt. Hinc eñ ſanctus propheta Daniel dicit: Homines & iumẽta ſunt Domine. Solet enim fieri, ut illi qui uidentur homines iuſti peccent & conuertantur a iuſtitia ſua, & faciant iniquitatem. Econtrario illi qui ſunt mali & impii, conuertantur ab iniquitate ſua, & faciant iuſtitiã & æquitatem. Ideo dicit Salomon, quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorũ deſcendat deorſum, quia tam incertus eſt uitæ huius ſtatus, ut & peccator, qui iumentum uocatur, per pœnitentiam cõuerſus ſurgat, & aſcendat in cœlum, & iuſtus a iuſtitia ſua ruat in peccatum, & demergatur ad inferos. Ver. Quid eſt quod ait, Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas? Quis eſt enim tam ſtultus, qui carnem ſuam co-

medat? Sal. Stultus iste, piger ille debet intelligi, de quo in Prouerbiis dicit: Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. Iste piger & stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, quia magis eligit in ocio & torpore uiuere, & habere pugillum farris, q̃ laborando acquirere, unde pascatur. Comedit carnes suas, dictum est per hyperbolen. Ver. Quid est hyperbole? Sal. Hyperbole igitur dicitur, quando aliquid incredibile profert. Ver. Quomodo ergo dictũ est hyperbolice, comedit carnes suas? Sal. Quia incredibile est ut homo comedat carnes suas. Sed ad exaggerandã pigritiã huius stulti ait, comedit carnes suas, ut ostenderet, quia magis stultus desyderat, ut caro eius tabescat inedia, & miseria famis deficiat, q̃ ut manuum suarum laboribus sustentetur. Ver. Quis est unus, de quo dicit Salomon, Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis? Sal. Ille est, qui cum sit unus, id est, solus, non habet secundum, hoc est, filium, non fratrem aut aliquem propinquum, & nunquam cessat laborare, hoc est, diuitias congregare, nec tantas congregat, ut ei sufficiant. Et ideo maxima uanitas est, congregare diuitias & ignorare cui eas relinquat. Ver. Quem significat spiritualiter ille unus, qui non habet secundum? Sal. Dominũ Iesum Christũ, qui naturaliter solus

est Dei

est Dei patris filius, & solus descendit de coelis ad redimendum genus humanum. Ver. Quomodo non habet filium uel fratrem, cum in sacro baptismate omnes Christiani filii Dei efficiantur, & fratres Domini nostri Iesu Christi? Sal. Ille solus proprius & naturalis filius, cæteri uero omnes sunt adoptiui, & ideo fratres eius sunt non natura, sed gratia. Ver. Quomodo ergo iste unus laborare non cessat? Sal. Quia peccata nostra patienter sustinet, & misericorditer ad poenitentiam expectat, & pro nobis quotidie apud Deum patrem interpellat. Ver. Quomodo non satiantur oculi eius diuitiis? Sal. Quia nostram semper desyderat salutē. Ver. Quis est iste funiculus triplex, de quo dicit Salomon, Funiculus triplex difficile rumpitur? Sal. Vnitas patris et filii et spiritus sancti, quia in diuinitate tres sunt personę sed tantum una est natura. Ver. Cur ergo ait, difficile rumpitur? Illud enim quod difficile est, fieri potest, quamuis cum magno labore. Nūquid ergo potest iste funiculus rumpi? Sal. Vere nunquā, quia indiuidua est sanctæ Trinitatis natura, sed difficile in hoc loco pro impossibili accipiendum est, quia fieri non potest, ut diuinitatis scindatur natura. Ver. Quis est ille puer pauper & sapiens, de quo dicit Salomon, Melior puer pauper et sapiens, rege stulto et sene? Sal. Dominus Iesus Christus, qui puer dictus est propter innocentiam & simplicitatem, quia

peccatũ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Iste puer cũ esset diues, pro nostra salute factus est pauper. Iste ueraciter est sapiens, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ver. Quis est ille rex senex et stultus? Sal. Diabolus qui pene ab ipso mundi exordio regnauit in genere humano, et ideo senex uocatur. Et uere stultus rex, quia quanto plures decipit, tanto sibi pœnã accumulat. In regno quippe huius regis senis & stulti, id est, diaboli, natus est puer optimus, Dominus uidelicet Iesus Christus, qui factus est rex regum, & Dominus dominantium. Ver. Quid est quod ait, Custodi pedem tuum, ingrediẽs domum Dei. Nunquid ab offensione lapidum monet custodire pedẽ, quando ingredimur domum Dei, id est, Ecclesiam. Sal. Quamuis semper honeste & cum timore ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet custodiendum, sed pedem animæ, id est, gressum mentis, ut in conspectu Dei mundas preces effundamus, & est sensus. Quando ingrederis domum Dei, uidelicet Ecclesiam, custodi pedem tuum, id est, gressum mentis tuæ, ne offendas in malis cogitatiõibus, ut oratio tua pura dirigatur ad Deum. Ver. Quid est quod ait, Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam? Quomodo dat homo os suum, ut peccare faciat carnem suam? Sal. Quando loquitur uanitates et uerba libidinosa, qui

bus caro

bus caro incitetur ad peccandum. Sed iste est proprius huius loci sensus, Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, hoc est, noli quærere uanas excusationes, quibus des occasionem carni tuæ ad peccandum, hoc est, noli dicere, nõ ego pecco, sed quod in me habitat peccatum, id est, fragilitas carnis meæ. Quia si hoc dicis, Dominum prouocas ad iram, quasi ipse sit author malitiæ atque peccati. Ver. Quid est quod ait, Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur? Quomodo potest fieri, ut omnia quæ laborat homo, sint in ore illius? Sal. Vir ecclesiasticus sapiẽs & doctus omnẽm laborem suum habet in ore suo, quia omĩa quæ in scripturis sacris discit, quotidie meditatur, prædicat & docet, & anima illius non implebitur, quia non sufficit sibi quod didicit, sed magis ac magis semper discere cupit & studet. Ver. Quid est quod ait, Melius est uidere quod cupias, quàm desyderare quod nescias? Quomodo uidet homo quod cupit? aut quomodo desyderat quod nescit? Sal. Ille qui oculis mentis discernit inter bonum & malum, uidet quod cupiat bonum, & quod repudiet malum. Qui autem sequitur uoluntatem cordis sui & concupiscentias, sæpe desyderat quod nescit, quia uult comprehendere q̃d non potest. Ver. De quo dicit Salomon, Qui futurus est, iam uocatum est nomen eius, & scitur q̃ homo sit? Sal. De Domino Iesu Christo, cuius no

men ante uocatũ est in scripturis sacris, quia ipse carnem de uirgine sumpserit, & cognitum est Prophetis & sanctis Dei, quod uerus homo erat uenturus. Ver. Si hoc de Domino Iesu Christo dictum est, quid est quod sequitur, Et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere? Quis est ille fortior, contra quem Dominus Iesus contendere non possit in iuditio? Sal. Deus pater, qui fortior est, quia filius secundum humanitatem minor est patre. Ver. Quid est quod ait, Melior est ira risu, cum risus naturalis sit, ira uero sit uitium? Sal. Ira non semper est uitium, sed aliquando est uirtus, quando irascimur nobisipsis, uel aliis peccantibus, hæc ergo ira melior est risu, quia risus dissoluit mentẽ, & læticia corrumpit hominis animum, hęc ira corrigit et emendat peccantem. Ver. Quid est quod ait, Calumnia cõturbat sapientem, et perdit robur cordis illius? Qui enĩ uere sapiens est, nulla turbatur calumnia, nulla deiici tur aduersitate. Sal. Sapiens in hoc loco non intel ligendus est ille, qui perfectus & consumatus in sapientia est, sed qui iam cœpit habere sapientiam, & tamen adhuc non est perfectus. Talem sapientem calumnia hominũ siue aduersitas aliqua facile conturbat & perdit uigorem ac fortitudinem animæ illius, quia dum patienter nõ sustinet aduersa, uexatur impatientia. Ver. Quid maledicere est, quia priores dies meliores fuerunt, q̃ isti qui modo sunt? Sal.

Ideo

Ideo malũ est hoc dicere, quia sicut ipse ait, stulta est talis interrogatio. Ver. Quare stulta interrogatio est, si quis dicat, Quæ caussa est, quia priora tempora meliora fuerunt, quàm nunc sunt? Sal. Ideo stulta interrogatio est, quia unus Deus conditor est omnium temporũ, cunctorumq; dierum. Ver. Quãuis enim unus sit Deus, conditor omnium temporum, cunctorumq; dierum, nunquid non fuerunt tempora bona & mala? Sal. Vere fuerunt, sed uirtutes faciunt nobis tempora bona, uitia & peccata faciunt tempora mala, & idcirco nos ita semper bene uiuere debemus, ut dies præsentes nobis meliores sint, q̃ præteriti. Ver. Quid est quod ait Salomon Noli esse iustus multum, neq; plus sapias q̃ necesse est? Quid enim mali est, si multũ homo iustus, aut quis potest plus sapere q̃ necesse sit? Sal. Ille multũ & nimis iustus est, cuius iustitia sæua & crudelis, & alios excitat ad querelam & murmurationem, uerbi gratia. Qui uidet fratrem suum peccare, & magis uult eum condemnare atq; punire, q̃ per pœnitentiam corrigere & emendare, ille nimirum multum & nimis est iustus. Ver. Quomodo sapit homo plus q̃ necesse est? Sal. Quando superbe sapit, unde monet Apostolus: Noli altum sapere, id est, noli superbe sapere, sed time. Ille etiam plus sapit, q̃ necesse est, qui ea uult intelligere quæ non potest comprehendere, neq; penetrare. Ver. Quare Salomon dicit,

Qui timet Dominum, nihil negligit, cum Iacobus Apostolus dicat: In multis offendimus omēs? Nunquid Iacobus aut cæteri Apostoli non timebant Deum? qui se in multis offendere confitebantur? Sal. Timebant utiq;, & in multis offendebant, quia non est homo super terram qui faciat bonum, & non peccet. Ver. Quomodo ergo uerum est, quod dicit, Qui timet Dominū, nihil negligit? Sal. Qui enim sanctum & castum Dei timorē habet, nihil omnino negligit, quia neq; prosperis eleuatur, neq; aduersis deiicitur, quoniam quicquid illi accidit, nō eum contristat. Ver. Quis est ergo ille, qui sanctum & castum Dei timorem habet? Sal. Qui Dominum in nullo uult offendere, & quantū ipse adiuuare dignatur, eius uoluntatem & mandata ipsius in omnibus uult & studet adimplere. Ver. Quid est quod ait, Sapientia confortabit sapientem super decem principes ciuitatis? Quæ est hæc sapientia, aut qui sunt isti principes? Sal. Sapientia in hoc loco Dominum Iesum Christum significat, qui est uirtus & sapientia Dei. Decem principes ciuitatis, sancti Angeli sunt intelligendi, qui sunt principes ciuitatis, id est, cœlestis Hierusalem. Sunt & principes Ecclesiæ, quia ipsi quotidie regunt eam, & custodiunt. Ver. Cur ergo decem dicuntur? Sal. Quia Decem fuerunt ordines Angelorum, sed unus cecidit per superbiam, & idcirco boni Angeli semper ad hoc laborāt, ut de

 hominibus

hominibus numerus adimpleat, et perueniat ad perfectum numerū, id est, denarium. Ver. Quomodo ergo sapientia confortat sapientem super decem principes ciuitatis? Sal. Quia maius est auxilium sapientiæ, id est, Domini Iesu Christi, q̄ sit Angelorum. Ver. Quid est quod Salomon dicit, Virum unum de mille reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni? Nunquid non multæ mulieres sanctæ fuerunt, uirgines simul & uiduæ, quæ pudicitia ac castitate, ac bonis operibus Deo placuere? ex quibus plurimæ illarum martyrio coronatæ sunt? Sal. Vere fuerunt, & usque nunc sunt plurimæ uirgines ac uiduæ Deo acceptæ. Sed hoc dicit Salomon, quia suo tempore de multis uiris uix potuit inuenire bonū. De mulieribus uero nullam inuenit, quia omnes eum non ad uirtutem, sed ad luxuriam traxerunt. Ver. Potest hæc sententia spiritualiter intelligi? Sal. Vere potest, nam per uirum designatur bonus animi cogitatus, per mulierem uero, carnalis & dissoluta cogitatio. De mille ergo uiris uir unus inuenit̄, id est, unus cogitatus, mundus & purus, qui peruersa cogitatione nō turbet̄, id est, polluatur extrinsecus. De mulieribus uero nulla inuenit̄, quæ placeat Deo, quia carnalis & peruersa cogitatio non est accepta Deo. Ver. Quid est quod ait, Qui custodit præceptum Dei, non experietur quicquam mali? Quomodo nihil mali experietur, qui præce-

pta Dei custodit? cum sancti uiri qui præcepta Dei custodierũt, multa mala perpessi sint in hoc seculo? Sal. Verum est, quia qui præcepta Dei custodit, id est, omne quod iussit & præcepit Deus, non experietur quicquã mali in futuro, hoc est, nullum malum patietur, nullũ malum sustinebit in die iudicii. Quãuis enim aliqua mala patiatur in hac uita, leuia sunt & transitoria, in futura uita nihil mali patietur, qui perueniet ad æternæ beatitudinis gloriam. Ver. Quid est quod ait, Melior est canis uiuus leone mortuo? quid per canem uiuum aut leonem mortuum Salomon uult intelligi? Sal. Canis uiuus significat populum gentium, Leo mortuus populum Iudæorum, a Deo derelictũ. Melior est ergo apud Deum canis iste uiuus, q̃ leo ille mortuus, quia nos qui de gente credimus uiuentes, per fidẽ cognoscimus Deũ patrem, & filium, & spiritum sanctum. Aliter, canis uiuus est peccator, qui se peccatis mortuum confitetur, & per pœnitentiam resurgens, incipit per iustitiam uiuere. Leo mortuus, est iustus, qui in sua iusticia confidit, & de meritis suis gloriatur, & idcirco superbia elatus mortuus est apud Deum. Melior est ergo peccator humilis, & per pœnitentiam correptus, q̃ iustus superbus, quia ille abominabilis, iste Deo acceptus est. Ver. Quid est quod dicit, Omni tempore sint uestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat? Nunquid potest aliquis candida uestimen

uestimenta semper habere? Et si forsitan ita est diues ut semper uestimenta candida possit habere, quod omnino difficile est, quomodo fieri potest, ut de capite ipsius nunquã deficiat oleum? Quis nanq; ferre potest, ut semper habeat caput oleo perunctum? Sal. Hæc sententia non historialiter, sed spiritualiter debet intelligi. Nam per uestimenta uirtutes designantur, quibus anima uestitur et ornatur. Per oleum uero designatur opus misericordiæ, id est, eleemosyna, uel certe spiritualis lętitia, & est sensus, Omni tempore sint uestimenta tua candida, id est, quæcunq; bona egeris, sint munda & pura, ut possint Deo esse accepta, & nunquam deficias ab operibus misericordiæ, & semper habere stude spiritualem læticiam. Ver. Quæ sunt muscæ, de quibus Salomõ dicit? Muscæ morientes exterminant suauitatem illius. Sal. Veruntamen Salomon spirituales muscas intelligit. Ver Quæ sunt illæ spirituales muscæ? Sal. Dæmones, uitia & peccata, hæc enim omnia exterminant hic suauitatem unguenti, id est, gratiam sancti spiritus. Ver. Quid est quod ait, Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius? Quis enim habet cor suum carnale in dextra uel in sinistra manu? Sal. Vere nullus, & ideo hæc sententia spiritualiter debet intelligi. Ver. Quomodo spiritualiter debet intelligi? Sal. Per cor designatur intentio seu cogitatio, Per dextram manũ, opus bonum,

per ſiniſtram uero malum. Cor igitur ſapientis in dextra eius, quia intentio & cogitatio uiri ſapientis ad hoc tendit, & ad hoc laborat, ut ſemper bona operetur. Quatenus in die iudicii ad dexteram Domini, id eſt, in ſorte iuſtorum ſtare mereatur, & cum ipſis in æterna beatitudine gloriari. Cor uero ſtulti in ſiniſtra illius, quia & mala quæ cogitat, & malis operibus accumulat, pro quibus in die iudicii a ſiniſtris, id eſt, in ſorte reproborum ponetur, & cum eis in æternum punietur. Ver. Quis eſt ille ſpiritus, de quo dicit, Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris? Quis eſt iſte, qui habet poteſtatem, cuius ſpiritus ſi aſcenderit ſuper nos, locum noſtrum dimittere non debemus? Sal. Diabolus princeps huius mundi, ſpiritus eius eſt maligna ſuggeſtio. Ver. Spiritus Diaboli quomodo aſcendit ſuper nos? Sal. Quia perſuadendo facit ut mala cogitemus, ſi ergo ſuggerente diabolo, mala cogitatio aſcenderit in cor noſtrum, non ei locum dare debemus, ſed contra ipſam fortiter pugnare, ne forte opere cōpleamus malam cogitationem. Poteſt & ſic intelligi, ſi habes in te humilitatem, munditiam, caſtitatem, patientiam, charitatem, & Diabolus ſuggerit tibi ſuperbiã, libidinem, immũditiam, iram, odium, ne dimiſeris locum tuum, id eſt, ne dimittas humilitatem & efficiaris ſuperbus. Sic & de cæteris eſt intelligendum. Ver. Quare dicit Salomon?

mon? Vae tibi terra, cuius rex iuuenis est, & cuius principes mane comedunt? Nunquid nō beata fuit terra Israhel, quae iuuenem habuit regem, Dauid scilicet, qui fuit triginta annorum, quando suscepit regnum? Nunquid non bonus rex Iosias, qui regnare coepit in adolescentia? Sal. Vere bonus rex Dauid bonus & Iosias? Sed uae terrae, cuius rex iuuenis est, hoc est, in quo parua & infirma est sapientia, & carnalis prudētia, qui iuuenilia desyderia sequitur, odit iusticiam, ueritatem, & iudicium. Ver. Quomodo principes mane comedunt? Sal. Principes mane comedunt, quando luxuriosam uitam ducunt, & idcirco uae terrae, cuius principes mane comedunt, quia magis amant huius seculi uoluptates, & carnis delectationes, q̄ populi salutem, ideoq; luxuriose uiuendo peruertunt iuditium. Ver. Quomodo beata est terra, cuius rex est nobilis, & cuius principes comedunt in tempore suo? Sal. Si rex nobilis est, hoc est, decorus sapientia, splendidus iusticia, ornatus bonis moribus & actibus, uere beata est terra cui praeest, quia regit eam in iudicio & aequitate, & exaltat iustitia. Ver. Qui sunt illi principes, qui in tempore suo comedunt? Sal. Illi nimirum, qui non luxuriantur; qui non amant huius seculi uoluptates, qui non uiuūt in crapula & ebrietate, sed cibos quaerunt tantum ad corporis sustentationem. Ideoq; beata terra, quae tales habet principes, quia dum iusticiam & aequitatem diligunt, utiq; non peruertunt iu-

dicium. Ver. Quid est quod ait, Da partes septem necnō & octo? Quæ sunt illæ septem partes uel octo quas dare nos iubet? Sal. Per septenarium numerum uetus testamentū propter sabbathum, qui est septimus dies sanctificatus in lege, per octonarium uero designatur nouum testamentum propter diem dominicam, qui est octauus, Domini Christi resurrectione sanctus. Ver. Quomodo ergo intelligendum est quod ait, Da partes septem, necnō & octo? Sal. Hoc modo, id est, utrunq; testamentum, uetus scilicet & nouum, pari ueneratiōe credendo suscipe, & præcepta eorum diligenter implere stude. Ver. Quid est quod ait, Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit? Nunquid quod cadit lignum ad Aquilonem, aut ad Meridiem, non sæpe mouetur in alias mundi partes? Sal. Nulli hoc dubium est, sed hæc sententia spiritualiter intelligi debet. Nam per lignum homo designatur, quoniam unusquisq; est quasi lignū syluæ generis humani. Per Austrum, qui est calidus uentus, designatur requies paradisi. Per Aquilonē, qui est frigidus, designatur inferni suppliciū. Et est sensus, Vbicūq; sibi homo locum ad futuram sedem præparauerit, ibi erit cum mortuus fuerit, hoc est, si bene sibi locum uiuendo præparauerit ad Austrum cum ceciderit, id est, mortuus fuerit, in requie paradisi & gloria regni cœlestis permanebit in æternū. Si uero male uiuendo sibi locum præparauerit ad Bo

ream,

ream, inferni pœnas luet in secula seculorum. Ver. Quid est quod ait, Qui obseruat uentũ, nõ seminat, & qui consyderat nubes, nunquã metit? Quis em̃ est tam stultus, qui semper obseruet uentum, ut non seminet, & semper consyderet nubes, ut nunquam metat? Sal. Hæc sententia spiritualiter intelligenda est. Nam per uentum & nubes sæpe tempestas generari solet, per uentum ergo designatur diabolus, per nubes præsentis seculi aduersitates. Quicunq; igitur timet diaboli persecutionẽ, aut mundi huius aduersitates, non seminat, id est, uerbum Dei non prædicat, nec operatur bona quæ ualet. Etiam nunquam metet, quia etsi aliqua bona inchoat, ad perfectionẽ non ea perducit. Ver. Quid ergo agendum est? Sal. Sine consyderatione nubium, & timore uentorum, in mediis tempestatibus seminare debemus, id est, in omnibus aduersitatibus uerbum Dei prædicare, et bona opera quę ualemus, agere semper oportet. Ver. Quid est, Mane semina semen tuum, & uesperi ne cesset manus tua? Quis enim semper, & mane & uesperi seminare potest, maxime cum glaciali tempore nullus audeat seminare? Sal. Semen hoc loco non intelligendum est frumenti, uel alterius cuiuslibet grani, sed semen boni operis, ex quo nascitur fructus iusticiæ, & merces æternæ remunerationis. Ver. Quid ergo docet cum dicit, Mane semina semen tuum, & uesperi ne cesset manus tua? Sal. Vt nullo tempore, nulla ętate a bonis operibus cesse

mus, & nostram matutinam iusticiam uesper inueniat, & uespertinam misericordiam iterum sol ortus accumulet. In adolescentia pariter & senectute uirtutū copia nos semper Deo commendet. Mane ergo semina semen tuum, & uespere ne cessat manus tua, hoc est, semper te in bonis operibus exerce. Ver. Quid est quod ait, Et florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis? Quid enim profuit hoc dicere, cum nullus ignoret, quia & amygdalus florere solet, impinguari locusta, & dissipari capparis? Sal. Hæc sententia spiritualiter est intelligenda, & magnum in se continet mysterium. Nam per amygdalū designatur Dominus Iesus Christus, quia sicut nux amygdali constat ex corio, osse, & nucleo, ita Christus ex carne, anima, et diuinitate. Quoniam per os amygdali diuinitas designatur. Ver. Per locustam & capparim quid significatur? Sal. Per locustam, populus gentilis: per capparim populus Iudaicus. Ver. Quomodo ergo intelligenda est hæc sententia? Sal. Florebit amygdalus, id est, nascetur Christus, & coruscabit miraculis. Impinguabitur locusta, id est, credet gentilis populus, et replebitur donis spiritualibus. Dissipabitur capparis, hoc est, peribit ꝓpter infidelitatē populus Iudaicus. Ver. Quare uerba sapientium stimulis & clauis assimulantur? Sic enim dicit Salomon, Verba sapientū sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi. Sal. Aptissime uerba sapientum clauis & stimulis comparantur.

tur, quia peccatorũ culpas nesciunt palpare, sed pungere, qui enim ueraciter sunt sapientes, eorum proculdubio uerba claui sunt & stimuli, quia peccatores non blandimentis fouent, sed aspera increpatione redarguunt, & eorum secretas conscientias quasi pungendo ad dolorem & lamenta, execrant, ut corrigantur. Ver. Quid est quod ait, Quæ per magistrorũ consilium data sunt a pastore uno? Qui sunt illi magistri, per quorum consilium data sunt sapientium uerba, aut quis est unus ille pastor, a quo data sunt? Sal. Magistri sunt sancti Prophetæ & Apostoli. Pastor unus est Deus, a quo data sunt omnia uerba sapientium, quia ipse docuit magistros, id est, Prophetas & Apostolos, & restruxit eorum consilium, quoniam ipse dedit uerba in corde & ore ipsorum. Ver. Quid est q̃d Ecclesiastes in fine libri sui dicit, Deum time, & mandata eius custodi, hoc est em̃ omnis homo? Quomodo fieri potest, ut hoc tantum sit homo, id est, timere Deum, & mandata eius obseruare? Multo quippe maior est pars eorum hominũ qui nec timent & custodiũt. Sal. Vere maior pars est malorum, q̃ bonorum, quia sicut Dominus dicit Multi sunt uocati, pauci uero electi. Et incomparabiliter maior infidelium multitudo, q̃ fidelium. Ver. Quid ergo uult in hoc loco Salomon demonstrare? Sal. Hoc nanq; demonstrat in his uerbis, quia non est homo, qui Deum non timet, & mandata eius nõ custodit. Ver. Quare non est homo? Sal. Quia

non custodit modū rationemq; suæ naturæ. Ver. Quæ est ratio & modus naturæ humanæ? Sal. Rationabiliter uiuere, quia inter animantia omia solus homo creatus est rationale animal, quoniā inter cuncta terræ animātia solus homo accepit a Deo rationē & intellectum, ita ut agnosceret suū creatorē, & diligeret eum, ac timeret, & corde & ore simul laudaret. Ver. Quid est Deum timere? Sal. Voluntatem eius implere, & bona quæ faciēda sunt facere. Ver. Si ergo qui nō timet Deū, & mandata eius nō custodit, non est homo, quid ergo est? Sal. Bestia est. Ver. Quomodo bestia est, cum in eo uideatur humana substantia & persona? Sal. Quāuis em̄ uidetur habere humanā substantiā & personam, tamen quia nō rationabiliter, sed bestialiter uiuit, non homo, sed bestia dicendus est. Ver. Quomodo bestia uocatur? Sal. Si est crudelis suis domesticis & subiectis, aut uicinis, leo est, nō homo: si aūt raptor est Tigris uel lupus: si uero est adulter aut fornicator, aut immūdus, canis est aut porcus: aut si est stultus, asino comparatur: fraudulentus itaq; aut simulator, congrue uulpeculæ assimulatur, sic de cæteris intelligendum est. Ver. Quis est ergo ueraciter homo? Sal. Ille qui Deum timet, & mandata eius custodit.

Finis Ecclesiastis.



BESSARIONIS

EPISCOPI TVSCVLANI, CAR dinalis Nicæni, & Patriarchę Constantino politani, de ea parte Euangelii Iohannis, ubi scribitur, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι τί πρός σε; Id est, Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? erudita, & ualde quàm utilis disceptatio:

HÆc peruersis quibusdam Monachis, aut si qui sunt alii quouis monacho indoctiores, accurate legenda simul & exploranda sunt, ut intelligant tandem, quàm turpi iudicio, ne dicam morbo, utantur, ubi de translationibus Latinis iudicant, Græcæ linguæ non tantum ignari, uerum etiam ex professo iuratissimi hostes. Sed quid aërem uerbero? Quasi uero pullatus ille circulus non semper inscitam illam scientiam amarit, aut non ubiq; præpostere senserit, & quod est impudentius, nusquam non etiam illa, quæ neq; legerat, neq; intellexerat, damnauerit.



REVERENDO

AC ERVDITO PATRI, D. VLDEricho Fabro, Cœnobii Dominici Sepulchri in Denckendorff Præpoſito Digniſſimo, Domino & patrono ſuo bene de ſe merito, Iohannes Alexander Braſſicanus Iureconſultus

S. D. P.



IDEO QVOSDAM IN eam opinionem, & illam quidem mire peruerſam, adductos eſſe, Præſul ornatiſſime, ut infœliciſſimũ tot ſectarum atq; doctrinarum prouentum, quibus inter ſe minus, q̃ horologiis conuenit, iam non in angulis tantum, qui γρυιοβομβυκῶν mos eſt, ſed propalam & publice pro ſuggeſtu Grǽcis literis imputent. Qua re quid uel indigni⁹ cogitari, uel ineptius etiã dici poſſit, quis ex iis, qui uel mediocriter eruditi ſunt, non intelligit? Sic & terræ matris beneficia, ſi Diis placet, accuſemus. Sic elementa damnemus, ſic deniq; & alia, ut ille inquit, θεῶν ἐρικυδέα δῶρα, in ius rapiamus, quæ omnia & inculpata, et noſtris uſibus ubiq; ſeruientia, nos ipſi qui abutimur, deteriora &

merito

merito reprehendenda efficimus. Quoniã autem, Vlriche prestantiss. cum superioribus diebus in cœnobio tuo tecum essem, de eadem illa re, quæ tua est egregia eruditio cum summa modestia coniuncta, & exquisita suauitate uerborum, & acerrimo cum iudicio dissertabas, arbitratus sum me non uulgare operæprecium esse facturum, si simul & tui demerendi studio, & illius præposteræ opinionis confutandæ caussa, D. Bessarionis Cardinalis Doctissimi Commentariolũ in hoc argumenti genere doctissimum, ad te mitterẽ. Nam ex illo, quod alias te cõprobasse certo scio, liquido intelligis, quis usus sit Græcarum literarum, præsertim in libris sacris, quæ necessitas quæ dignitas, & quæ tandem illarum ratio habenda sit. Quando qui hoc præsidio carent, fieri nõ potest, ut non pueriliter hallucinentur, ut non grauiter impingant, ut non omnium maximo malo cæcutiant. Deprehendes etiam, quodnam fœlicioris interpretis officium, quæ cura, quæ diligentia esse debeat, q̃ nõ temere de translationibus iudicandũ sit. Id quod hac ætate peculiare uitium est, interpretem uidelicet in huius linguæ uersione damnare, in qua uix ultra alphabetũ progressus fueris. Cuius rei uel unus ille sedentarius Sutor, quum contra Erasmũ scriberet, pulcherrimũ specimen dedit. Insunt præterea & alia huic libello lectu dignissima, & huic seculo quasi nata, quem tu, ueluti perpetuo consueuisti, eo animo accipe, quo nos tibi dedicauimus. Sic certe significa-

tionem aliquam dare uolui, ut qui nihil non tibi debeo, uel aliquam mediocrem portionem persoluisse uidear, donec ex omni parte soluendo esse possim. Vale Præposite optime, ac amice charissime. Viennæ Austriæ, Anno a nato Iesu M. D. XXXII. Mensis Ianuarii die III.

Si uolo eum manere, donec ueniam quid ad te?

CVm nuper sacrum Euangeliũ Iohannis Euangelistæ in eius festiuitate Latine legeretur, uentumq; esset ad eam partẽ, ubi Petrus a Saluatore de Iohanne quærẽs: Domine, inquit, hic autem quid? & Dominus respondit iuxta Græcæ quidem literæ ueritatem: Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Iuxta Latinam uero interpretationẽ: Sic eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Quæsiuit a me quidam, an recte interpres eam particulam in Latinũ uertisset? cui ego: Recte quidem ab initio translatam fuisse arbitror, & Si, nõ Sic, ab interprete scriptum extitisse. Sed postea (quod accidere frequenter solet) uitio dormitantis Librarii, Si, coniunctionem in aduerbium, Sic, fuisse conuersam, una litera addita. Facilis est enim ad errorem lapsus, quoties dictio aliquid significans, in dictionẽ aliud significantem, una duntaxat addita uel detracta litera, commutari potest. Tum alii quidam ex his qui aderant, contradicere mihi cœperunt, non Si, sed Sic legi debere, asseue

Iohannis ultimo.

Si, non Sic

Dormitantes librarii.

Facilis ad errorem lapsus.

Contradicentes.

asseuerantes, beneq; se habere Latinum sermonem dicentes, & aut rectiorem esse Græco, aut illo non minus rectum, quandoquidem siue Si, siue Sic dicatur, eadem sit utriusq; sententia. Quod uero rectius se haberet sermo Latinus, minime ausi sunt prosequi, stulte id a se dictum intelligentes, & contentionis potius gratia, q̄ ueritatis. Siquidem Euangelista Iohannes & Euangelium suum Græco, non Latino sermone composuit, & ἐὰν cōiunctione usus est, quæ in Latinū uersa, Si absq; ulla ambiguitate significat. Interpres uero, quicunq; is quidem fuerit, nec tanta spiritus gratia, quanta Iohannes illustratus fuisse existimandus est. Et uerbo usus est ad errorē procliuo, quippe addita Si coniūctioni, per ignorantiam siue incuriā Librariorū, C litera, omnis sententia subuertitur, & pro coniunctione, quæ dubia est, aduerbiū efficitur adfirmandi. Quod uero ęque bene Latinus sermo se habeat, argumentis quibusdam conati sunt ostendere, quæ breuiter hoc loco referenda existimauimus, & ad ea quantum diuinus fauor concesserit, respondendum. Primo enim id authoritate Hieronymi & Augustini, & aliorum Latinorū doctorum confirmant, quos eo in loco non Si, sed Sic scripsisse & ita eam partem exposuisse constat. Hos enim non est uerisimile, & ueritatem latuisse, qui & sapientiores nobis fuere, & nō modo Latinæ, sed etiam Græcæ linguæ doctiores, quando præsertim ante ipsorū quoq; ætatem nō Si, sed Sic apud Latinos scriptum

Contradicentium argumenta.

fuisse animaduertitur. Post hæc asserunt, nihil in sacra scriptura innouandum esse, præcipueq; in Euangelio, ubi uel unum apicem, aut unum iota immutare nefas est. Daretur enim hoc modo facultas uolentibus sacram scripturã corrumpere, quod nullo modo est permittendũ. Cum igitur apud Latinos Euangelium sic habeat, asseri aliter, mutariue sine crimine non posse. Præterea Si cõiunctionem, inquiunt, aliquando affirmatiue, nõnunquã uero & dubitatiue accipi, & cum præsenti uel præterito indicatiuo adiungit, quæ tempora certiora sunt, & quasi determinatã rem notamq; significant, affirmatiue capi, cum uero subiũctiuo adnectitur, dubitatiue. Quod si futuro iungatur, tunc propter incertitudinem sui, nec cum indicatiuo omino affirmare, nec cum subiunctiuo prorsus esse ancipitem. Præsenti uero etiam subiunctiuo adiunctam, certitudinem significare. Hanc eorum sententiam quibusdam Virgilii ac Ciceronis exemplis nituntur affirmare. Cum igitur apud Græcos ita scriptum sit, ἐὰν θέλω, hoc est, Si uelim, procul dubio certitudinem utrobique significari asserunt. Ideoq; seu, Si uelim, ut Græci, siue Sic uolo, ut Latini dicamus, unam prorsus & eandem esse sententiam. Postremo ubi negatio, inquiunt, uel ambiguitas locum non habet, indicatiuo cum Si cõiunctione utendum est. In hoc uero, de quo loquimur Euangelii loco, nulla habet locum ambiguitas. Indicatiuo igitur adiungenda illa coniunctio, &, Si uolo dicendum,

quod

quod idem est, ac si diceretur, Sic uolo. Idcirco, Sic uolo, in Euangelio legendum. Quod uero hæc duo idem significent, huiusmodi confirmant exemplo. Si quis enim, inquiunt, alicui in die Veneris carnes edenti ita dixerit, Tu ne die Veneris carnes edis? & ille ita respondeat, Si edo, quid ad te? Profecto si edo idem est ac si diceretur, Sic edo, uel ita edo, quid ad te? quemadmodum igitur, Si edo, & Sic edo unum sunt, ita etiã Si uolo, & Sic uolo idem esse fatendum censent. Quod si quis caussam flagitet, cur Euangelista dixerit, Et non dixit Iesus quod non moritur, sed Si eum uolo manere, nihil eũ dicere asserunt. Primo enim non uim & sensum uerborum, sed uerba ipsa ab Euangelista negari, deinde & sic uolo significare sic uelle eum manere, sed uoluisse Christũ reprehendere Petrum, ueluti quæritabundum de his, quæ ad se minime pertinerent. Concludunt ergo iniuriam fieri Euangelio, si quis hunc locum mutet, moriendumq; potius esse, q̃ tale aliquid tentandum, nec debere quenquam catholicum putari, qui mutandam hanc Euangelii authoritatẽ existimet, censendumq; eum qui id ausus fuerit, etiam peiora facturum, addita ei authoritate atq; potentia, hæc quidem illi. Nos uero ad ea hunc in modum respondemus. Oportet enim qui aliquid ex una in aliam transfert linguam, & linguam ipsam nosse, quam transfert, & eius non modo sententię ueritatem, sed etiam uerba de uerbis exprimere, idq; pręsertim in sacris literis, ubi nõ mo

Responsio ad argumẽta cõtra sententium. Officium boni interpretis.

do uerba ipsa custodiri, sed ordo quoque uerborum, quoad eius fieri potest, seruari debet. Siquidem in sacra scriptura etiam ordo ipse uerborum, ut Hieronymus ad Pammachium scribens, inquit, mysterium est, periculosum est enim aliquid in ea mutare, nisi proprietas linguae, in quam fit translatio, tantã interim obseruantiam non patiatur, tunc enim licet diuersorum uerborum ambitu eandem fideliter repraesentare sententiam, sed hoc in praesentia locum nõ habet. Cum haec ita sint, illud quoque animaduertere conuenit, quod licet nonnullorum opinio fuerit, Beatum Iohannem Euangelistam nõdum uita functum esse, sed secundum Christi aduentum uiuendo praestolari. Vera tamen sanctorum doctorum sententia est, mortuum eum esse, non tamen per martyrium, nec infirmitate primo maceratum, uel mortis dolore & angustia oppressum, sed sua sponte dum sanus esset, ad sepulchrum eius iussione per discipulos fossum descendisse, iacuisse, spiritum creatori reddidisse, & ad patres appositum fuisse. Legant qui uolunt Hieronymum in Prologis, tum eius, de quo loquimur Euangelii Iohannis, tum libri Apocalypsis, cuius ea sunt uerba, quae modo retulimus. Legant Augustinum super Iohanne, ubi de hac quaestione agitur. Legant Chrysostomum in multis locis, caeterosque q̃ plurimos, & cum tot tantisque doctoribus idem ipsi quoque sentiãt (ut fas est.) Nam & si aliqui ex recentioribus aliter senserint, nonnulli tamen ex eis, & ii quidem

Hieronymus.

Ordo mysteriorum est.

Iohannes mortuus.

Augustinus super Iohannẽ.

Chrysostomus.

quidem inter illos doctiores habiti, illis aperte contradicunt, eorum quos diximus doctorum sententiam probantes, & quantum in eis est, de nouo excogitatis rationibus corroborantes, adeo ut hæc sanctorum de morte Iohannis opinio aut necessaria sit, & omni dubitatione carens, aut si dubia sit, apud paucissimos sit dubia, quod & pium non sit dubitare. Tamen ut disputationis gratia in præsentia concedatur, illud certe manifestum est, mortuum esse Iohannem, plus certi habere quàm ambigui: uiuere uero, certi nihil, sed ambigui plurimum, cum nullus ex priscis patribus, sanctisq; doctoribus id affirmet. Neminem præterea latere debet, sacros libros ueteris nouiq; testamenti ab ipsis Ecclesiæ nascentis exordiis apud Latinos tum ex Hebræo ut ueteres, tum e Græco, ut & nouos & ueteres per septuaginta interpretes editos fuisse longo ante Hieronymum tempore, trecentis scilicet & amplius annis, qua æditione sancta Latina Ecclesia tunc utebatur, eamq; ueteres sanctissimi doctores, Cyprianus, Hilarius, Augustinus Hieronymo coætaneus, imo uero illo sene, ipse iuuenis, exposuere. Multos præterea fuisse sacrarum literarum e Græco in Latinum interpretes, testatur Augustinus in iij. de Doctrina Christiana libro, ita inquiens: Qui enim scripturam ex Hebræa in Latinam uerterunt linguã, numerari possunt, qui autem e Græca interpretati sunt, nullo modo. Hanc tantũ scripturam multo post tempore superueniẽs Hiero-

Augustinus de Doctrina Christiana.

nymūs, egregius doctor, denuo ueterē ex Hebræo, nouam e Græco fonte traduxit, qua in re etsi multis præbuit latrandi cōtra se caussam, multa tamen aliter q̃ ædita a prioribus fuerant, dictauit, & ut ipse dicit, emendauit atq; correxit, nec cæteras solū scripturæ partes, sed ipsa quoq; Euangelia. Hæc eñ sunt eius uerba aduersus detractores suos, q̃ modo retulim⁹. Ita tamen probata ab om̄ibus eius translatio fuit, ut antiqua, uel ut uerius dicam, tot antiquis interpretationibus obliteratis, Hieronymiana duntaxat traductione catholica utatur Ecclesia. Legat qui uult eius ad Pammachium de optimo genere interpretandi Epistolas, ad Marcellum contra detractores suos, ad B. Augustinum q̃ plurimas eius defensiones, & ita esse intelliget. Quid uero ad Damasum Pontificem Rom. in præfationem super Matthæū scribat, si libet uideamus. Nouum, inquit, opus me facere cogis ex ueteri, & post exemplaria scripturarū toto orbe diffusa, quasi quidam arbiter sedeam, et quia inter se uariant, quæ sunt illa quæ cum Græca consentiant, ueritate discernam. E quibus omnibus luce clarius apparet, liceat ne, & piū an nefas sit, sacram scripturam ex alia translatā lingua ad originalis lingūę, unde traducta est, ueritatem reducere. Post hæc memoria repetenda sunt, quæ sancti doctores de profundo multiplicíq; sacrarum scripturarū intellectu edixerint, quanta de uaria eiusdem dicti expositione non modo sentiunt, uerumetiam præ se ferunt, exponentes

Hieronymi translatio.

ponentes eas multiplicibus uariisq; sententiis. Hinc est quod sanctam scripturam profundissimo compa-rant pelago, ex quo quantulibet aquæ haurias, plus tamen semper est, quod superest. Idcirco eam adse-runt plures diuersasq; expositiões suscipere, omnes tamen ueras. Hoc autem adeo plærìq; omnes adfir-mant Ecclesiæ doctores, ut superuacaneum sit, ad id probandum testes adducere, præsertim breuitati stu-dentibus. Postremo illud sciendum est, exemplaria tribus modis deprauari solere, appositione, aut com-mutatione, aut subtractione. Appositione quidem, cum pro arbitrio nostro id supplere uolumus in scri-pturis, quod imperfectum ac minus cõtinens existi-mamus, sicut est in libro Regum, ubi cum tractatur de secunda diffusione Phylistinorum in ualle Rapha-im infertur: Consuluit autem Dauid Dominum, & in quibusdam mendosis codicibus additum reperi-tur, Si ascendam ad Phylistiũ, & dabis eos in manu mea, quod in Hebræo fonte non reperitur, iuxta eo-rum sententiam, qui eam linguam apprime callent. Sed quia in prima Phylistinorum diffusiõe legitur, hic quoq; nonnulli censere debuerunt repetendum. At in Genesi eo in loco, ubi dicitur: Nonne pro Ra-chel seruiui tibi, quare imposuisti mihi? quidam su-perfluo addunt Lyan. Commutatiõe uero, cum syl-labarum aut partiũ similitudine uel ambiguitate de-cepti, nunc detrahendo aliquid, nunc addendo, in-terdum aut mutando ad nostri arbitrii cõiecturam,

Sacra scri-ptura pela-go profun-do similis.

Exempla-ria tribus modis de-prauantur

Appositio

Commuta-tio.

partes pro partibus uariamus, ut in Exodo. Cũctus autem populus uidebat uoces, pro uidebat plærique audiebat scripsere, eo quod uox audiri potius soleat, q̃ uideri. Et in Genesi, Cum Ioseph duodecim esset annorum, pro decem & septem. Et in Lamentationibus Hieremię, pro uastatio & contritio, Vaticinatio & contritio. Et in Amos Propheta, tonsorem gregis, pro tonsura regis. Subtractione autem, quum de scriptura minuere aliquid præsumimus, sine quo plenus nihilominus redditur intellectus, ut est illud in Ezechiele. Et dixit ad uirum, qui indutus erat lineis, & ait. Hoc quod ultimo ponitur, scilicet, & ait, si quis pręsumeret diminuere, intellectui nullatenus derogaret. Et in Zacharia: Ipse ædificabit templum Domino, & extruet templum Domino. Quod postremo ponitur, & extruet templum Domino, de multis exemplaribus detractum est. Quod si quis de his plura desyderat testimonia, & latius nosse hanc rem cupit, Nicolaum legat Tituli Damasi Diaconũ, & bibliothecæ suffraganeum, uirum quantum intelligere licet, Hebraicæ linguæ peritissimum, qui Lucii secundi Romani Pontificis tempore, ad Petrum Basilicæ sancti Petri Canonicum scribens de sanctæ scripturæ emendatiõe, multa disseruit. Nobis enim prolixitatem fugientibus, satis est uno uel duobus testimoniis, quod probare uolumus, astruere, lectorem impigrũ ad eos, a quibus nos hæc sumpsimus remittẽtibus. Plura nanque idẽ Nicolaus ait: Lustrãs

Subtractio

Nicolaus tituli S. Damasi Diaconus.

armaria

armaria, nequibam hoc adipisci, ueracia scilicet exemplaria inuenire, quia & quæ a doctissimis uiris dicebantur correcta, unoquoq; in suo sensu abundante adeo discrepabāt, ut pene quot codices, tot exemplaria reperirem, usq; adeo etiam millesimo fere post interpretationem Hieronymi anno, codices sacræ scripturæ mendosi atq; corrupti erant, & ita inter se in plerisq; discrepantes, ut quæ Hieronymus ad Damasium scripserat, eadem Nicolaus post tot annorum circula scribat ad Petrum, tot scilicet exemplaria esse, quot codices. Addit præterea se nonnulla cōperisse, de Hebræo abesse, quæ tamen in omnibus Latinis codicibus pariformiter reperiuntur. Quod enim in Genesi est, Dixit Cayn ad Abel fratrem suum, Egrediamur foras, quāuis in omnibus Latinis codicibus ita legatur, in Hebraicis tantum illud, Egrediamur foras, non esse scriptum, & eodem modo de cæteris quibusdā ait. Cuius rei caussam, siue quod Hieronymus in aliis reperta translationibus, in sua etiam connexuerit, siue ab alio, usu pristino pręualēte, postmodum connexa sint, nescire se asserit. Additq; hoc sui studii fuisse, quoad potuit, superflua resecare, transformata reformare, & ea rursus addere, quæ a præsumptoribus tanquam superflua fuerant amputata. Ita uir ille doctus, etiam longissimo post Hieronymi æditionem tempore, multa putauit, immo uero certo tenuit, uel apposita uel commutata, uel detracta, quemadmodū & ante Hieronymi tempora fuerant,

& ideo detrahenda, readdenda, emendanda & corrigenda eſſe. His igitur ita cognitis, nūc ad rem ipſam, de qua quæſtio eſt, ueniamus. Cum ſacrū Iohannis Euangelium Iohannes ipſe Apoſtolus & Euangeliſta, ſpiritus ſancti gratia plenus, Græco ſermone ſcripſerit, nulli dubium eſſe debet, quamlibet translationem originali literæ minime reſpondentem, non rectam eſſe, ſed uitiatam atq; mendoſam, opuſq; eſſe ut is, qui ex una in aliam linguam aliquid transfert, eam ex qua ſit translatio, in omnibus quantum fieri poteſt, ſequatur, ſi ſe ueritatis interpretem eſſe atq; uideri cupit. Quod ſi quis in interpretis opere error animaduertitur, ſiqua dubitatio oritur, profecto eo recurrendum eſt, unde facta eſt translatio. Audi em̄ quid Beatus Hieronymus in præfatione ſuper Matthęum ſcribat. Si ueritas, inquit, eſt quęrenda de pluribus, cur non ad Græcam originem recurrentes, ea quæ uel a uitioſis interpretibus male dicta, uel a præſumptoribus imperitis emendata peruerſius, uel a librariis dormitātibus aut addita ſunt, aut mutata corrigimus.

Hieronymus in pręfationem in Matthæū.

Auguſtinus quoq; in ſecūdo de Doctrina Chriſtiana libro ita inquit; Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc inſtruendos ſuſcepimus, duabus aliis ad ſcripturarum diuinarum cognitionem opus habent, Hebræa ſcilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationē attulerit Latinorum interpretum infinita uarietas. Rurſus. Codicibus emēdandis primitus uigilare debet ſoler

Auguſtinus lib. ij. de Doctrina Chriſtiana.

bet ſolertia eorum, qui ſcripturas diuinas noſſe deſy
derant, ut emendatis, nõ emendati cedant. Et iterũ.
Libros autem noui teſtamenti, ſi quid in Latinis ua
rietatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubi
um eſt. Nonne his ſanctiſſimorũ doctorum uerbis
inſtruimur, cum multa fuiſſe & eſſe uel interpretum
uarietate, uel imperite emendantium uitio, uel dor-
mitantium librariorũ incuria deprauata, tum ea cor
rigi licere atq; debere. Per illam quippe regulã, qua
monemur in inquiſitione ueritatis, atq; eius inueſti
gatione ad originalem linguam, & exemplaria præ-
cedentia recurrendum eſſe, ac Latinorum librorum
uarietatem Græcis cedere oportere. Videndũ itaq;
primo, quomodo ſe habeat in Græca atq; originali
lingua, hæc, de qua quærimus, Euangelii authori-
tas, & an ſermo Latinus Græco conſentiat, quod ſi
diſſentiat, an id facile potuerit dormitantium librari
orum uitio fieri, & an in aliis quoq; ſimile aliquid fie
ri potuerit, factũue ſit abſq; ſancti doctoris, peritiſſi
miq; interpretis Hieronymi culpa aut reprehenſio-
ne. Deinde aliquot rationibus Græca litera compro
banda ac confirmanda eſt. Poſtremo rationes ab ad
uerſario adductæ, ſoluendæ ſunt. Apud Græcos ita
manifeſtus eſt ſenſus Euãgelii, neq; aliqua uerbo℞
ambiguitate inuolutus, aperte nanq; apud illos ita
ſcribitur, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; quod
niſi ita interpretetur, ut dicat, Si eũ uelim, uel ſi eum
uolo manere donec ueniam, quid ad te? recte inter-

pretatū esse non potest, Græca enim illa coniunctio

Coniūctio ἐὰν. ἐὰν nihil aliud q̃ Si conditionalem coniunctionem, caussalemue significat, tantumq́; interest inter ἐὰν, id est, Si, & οὕτως, hoc est, Sic, apud Græcos, quantum fere inter duo contraria. Siquidem ἐὰν ambiguam, οὕτως uero certissimam rem significat, ut nullo modo suspicari quis possit, librarii uitio hoc apud Græcos euenire potuisse. Nulla enim in una duarum dictionum litera est, quæ sit in altera, nulla inter eas est penitus similitudo, quippe ἐὰν tribus literis componitur, quod Latine significat Si, οὕτως uero, quod Sic a Latinis interpretatur, quinq́; literas habet, tanta inter has duas dictiones apud Græcos differentia est. Quomodo igitur se apud Græcos habeat hic, de quo loquimur, Euangelii locus, & quomodo Latinus sermo in hoc a Græco dissentiat, satis ex his quæ diximus apparet. Quod autem in Latina lingua facile talis error euenire potuerit, in promptu est intuenti, quanta sit harum duarum dictionum Si & Sic similitudo atq́; uicinitas. Vnica enim litera C. dormitantis librarii uitio addita, illud Si & Sic mutare potuit, quemadmodū tonsuram regis in tonsorem gregis, & uastationem in uaticinationem mutata fuisse non nostra, sed antiquorum doctorum sententia supra demonstrauimus, manifesteq́; ostendimus. Idē multis quoq́; aliis in locis factū extitisse probari potest. Mox in ipso fere initio eiusdem Euangelii Iohānis, ubi οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, nec ex uolūtate carnis, ait,

imperiti

imperiti quidam nec ex uoluptate carnis scribūt, N in P cōmutantes, quod scilicet ad carnem pertineat ipsa uoluptas. Et apud eundem post uerba Christi, quibus affatus est matrem, & eam Iohanni, quem diligebat, commendauit, subiungūtur ipsius Apostoli uerba, de se loquētis, ἔλαβεν ὁ μαθητὴς αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια, hoc est, accepit eam discipulus ille in sua, id est, in domum suam traduxit, communiter tamen Latini omnes codices habent, accepit eam in suam, M litera addita, quasi dicatur, in suam matrē, ob Christi scilicet uerba, dicentis: Mulier ecce filius tuus, et ad discipulum: Ecce mater tua, quod euenire in Græco sermone non potest, ubi nulla est dubitatio uel ambiguitas, εἰς τὰ ἴδια enim, id est, in sua, nomen est generis neutri, casus accusatiui, numeri pluralis, εἰς ἑαυτοῦ uero, id est, in suam, pronomen est reciprocum, numeri singularis, casus genitiui, proinde nullus Græcorum librariorū in ea parte fuisse credendus est error. At de sua in suā facilis lapsus est, unica litera adiuncta. Manifestius autem hunc errorem probat, quod in quibusdam emendatioribus Latinorū codicibus nō in suam, sed in sua scriptū animaduertimus. Rursus apud Iohannē ita scribitur, ἄγουσιν οὖν τὸν ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον, id est, adducūt Iesum a Caipha in prætorium. Imperiti uero homines ad Caipham in pretorium scribunt, quo in loco apud Græcos quidem nulla errori occasio datur, cum ἀπὸ præpositio, quæ in ab transfertur, & πρὸς, quæ in ad, nul

lam prorſus inter ſe ſimilitudinem habent, apud Latinos uero facilis eſt in errorē lapſus, D litera A præpoſitioni addita. Ita in prima Epiſtola ad Corinth. ubi Græci ſcribūt, οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν id eſt, omnes enim de uno pane participamus, Latini addunt, & de uno calice.. Et apud Matthæum cap. xxv. ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου, id eſt, exiuerūt obuiam ſponſo, Latini habēt, & ſponſæ, quæ profecto augurari licet in marginibus olim librorū pro expoſitionibus poſita, ab ignaris deinde librariis orationi intexta fuiſſe. Item in ij. ad Corint. ubi Græci habent, εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν .i. in faciem Eccleſiarū. Latini ſcribūt, In faciē Eccleſiarū Dei, addentes Dei. Et in i. ad Timot. ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα. Id eſt incidūt in tentationē, & in laqueū, Latini addūt Diaboli, quaſi uolētes ſupplere q̄d imperfectū & minus cōtinens uidebat̄. Multa huiuſcemodi, per omnes ſacrarum literarum libros addita, diligēs inueſtigator inueniet, quæ nos breuitati ſtudentes, in præſentiarum obmiſimus. Per ſubtractionem etiam, itemq; per commutationem eiuſmodi errores poſſe fieri, ſatis, ni fallor, oſtendimus, ne amplius in his nobis immorandum foret, paucis multa comprehendere uolentibus, niſi quædam adhuc ſumma addere nos beatiſſimi doctoris Auguſtini compelleret authoritas.

Auguſtin. Hic in ij. de Doctr. Chriſt. libro ita inquit: Ex ambiguo linguæ præcedentis plærunq; interpres fallitur, cum non bene ſententia nota eſt, & eam ſignificationem

tionem transfert, quæ a ſenſu ſcriptoris penitus alie-
na eſt, ſicuti quidam codices habent, Acuti pedes eo Pſal. xiij.
rum ad effundendum ſanguinem, ὀξὺς enim & acutũ
& uelocem apud Græcos ſignificat, ille autem uidit
ſententiam, qui tranſtulit, Veloces pedes eorum ad
effundendum ſanguinem. Et alia quidem nõ obſcu-
ra, ſed falſa ſunt, quorum alia conditio eſt. Hinc eſt
illud, quod quia Moſchos Græce uitulus dicitur,
quidam non intelligentes, plantationes uitulamina
interpretati ſunt, qui error tam multos codices præ-
occupauit, ut uix inueniatur aliter ſcriptum, ſed de
his ſatis. Nunc ad cõprobandam corroborandamq́
literam Græcã, noſtra uertatur oratio. Probauimus
per ſanctorũ doctorũ authoritatem, & quidẽ ſatis,
ut arbitror, Iohannẽ Euangeliſtã mortẽ obiiſſe, hoc
ante oĩa Latinæ literæ manifeſtiſſime contradicit,
in qua dicitur, Sic eum uolo manere, nõ enim ita uo
luit, quandoquidem non ita fuit, nam ſi ita uoluiſſet
ita profecto fuiſſet, aut igitur mentientis, aut puerili
ter contendentis uerba forent, ex illius ore prodeun
tia, qui contraria iis, quæ loquebatur uolebat. Sed
hæc de Saluatore cogitare nefarium eſt. Enimuero
igitur quod nolebat, non dixiſſet, & quoniam eum
nolebat in hac uita ſecundum eius aduentum expe-
ctare, non dixiſſet, Sic eum uolo manere, legendum
eſſe. Quid quód ſequens & pene continuata oratio
hoc ipſum oſtenditur, mox enim ſanctiſſimus Euan
geliſta Iohannes opinionem condiſcipulorũ, quam

ex Saluatoris ſermone conceperant, dicentes diſcipu lum illum nō moriturum, his uerbis arguit, dicens: Et non dixit Ieſus, non moritur, ſed ſi eum uolo manere donec ueniam. Quod perinde eſt, ac ſi eos erraſſe diceret, quod in eum ſenſum uerba Chriſti accepiſſent. Quod ſi Sic eū uolo manere dixiſſet Chriſtus, quid ni uera diſcipulorū opinio fuiſſet? Nec Iohannis uerba de falſa diſcipulorum opinione cōſtarent, ſed ſibi inuicem aduerſarentur ac contradicerent, dixiſſe enim Chriſtum, Sic eum uolo manere, & non dixiſſe quod non moritur, aperta contradictione, ſi uera de ſe Euangeliſta loquitur, qui & in cæteris magis dilectus, & ut de ſeipſo loquēs, apertius mentem uoluntatemq́ Saluatoris intelligebat, profecto Si eū manere uolo, non Sic eum uolo manere, legendum eſt, & uero Euangeliſtę teſtimonio fides habenda, qui mox aſſerit, ſe illum eſſe qui ſcribit, & uerum teſtimonium de his perhibere, nō modo de Chriſti actionibus hoc aſſeuerās, ſed de omībus a ſe in Euangelio ſcriptis. Hoc ipſum Chryſoſtomi quoq; uerba manifeſtiſs. cōprobāt, qui ſuper his uerbis quaſi uociferabundus, Mirare, inquit, Euangeliſtæ humilitatem, quomodo aliorum de ſe non rectam opinionē corrigit, qui non intellexerunt, quod de ipſo Dominus dixerat, ſed putarunt eum nō moriturum. Præterea cum e Græca lingua in Latinam translatū eſſe hunc codicem, nulli ſit dubium, conſtetq́ apud Gręcos ſine aliqua ambiguitate legi ἐὰν, hoc eſt, Si, profe

Chryſoſtomus.

cto na

cto necesse est, ut & Latini quoque Si legant. Quae enim cum Graeca ueritate consentiunt, Hieronymus inquit, illa correcta sunt. Et Augustinus, ad exemplaria praecedentia recurrendum ait, si quam dubitationem Latinorum interpretum infinita uarietas attulerit, rursusque libros noui testamenti, si quid in Latinis uarietatibus titubat, Graecis cedere oportere diiudicat. Taceo quod doctores Graeci, Origenes, Chrysostomus Cyrillus, & caeteri omnes hunc locum eo modo exponunt, quo & se habere literam diximus, quibus profecto tanquam summis uiris, ac in propria lingua apprime eruditis, & quae in eadem lingua scripta sunt, exponentibus potius, quam quibusuis aliis credendum esse negari non potest. Sed ne recentiores quidem doctores Latinos haec latuere, praesertimque Thomam Aquinatem uirum ut sanctissimum, ita etiam doctissimum. Hic in ea quam super Euangeliis ex ueterum doctorum dictis expositione composuit, Si scriptum esse inquit, in Graeco. Quod si in Graeco Si scriptum est, ut Thomas asserit, in translationibus uero non uitiosis, teste Hieronymo, non modo uerba, sed etiam ordo ipse uerborum seruandus est. Constat sane Latinos codices librariorum uitio deprauatos, non recte se habere. Et haec quidem ad probandam Graecae literae synceritatem, satis sit in praesentia dixisse. Ex quibus aduersariorum quoque argumenta solui & refutari facile possunt. Nam quod principio doctorum Latinorum authoritatem adducunt, & nos quidem Grae

Quae cum Graeca ueritate consentiunt.

Docti in sua lingua.

Thomas Aquinas.

Graecorum doctorum authoritas

corum authoritatē opponimus, quibus certe, cum de his, quæ in eorum lingua scripta sunt loquantur, & alioquin nec sanctitate uitæ, nec doctrina habeantur inferiores, credendum potius esse fatendum est. Adhæc dicimus non esse sufficiens ueritatis testimonium, quod aliqui doctores ita eum locum exposuerunt. Siquidem plæraqꝫ alia in huiusmodi translationibus inuenies, uel per librarios corrupta, uel per interpretes non recte translata, quæ tamen sancti doctores, literam quam repererūt, secuti, iuxta eandem literam conati sunt exponere, & ita exposuerunt, ut aliquando, quamuis literæ ueritatem non fuerint ad secuti, ueram tantum sententiam cum summa sapientia excerpserint, nonnunquam etiam si aliam ædiderint sententiā, q̄ authoris extiterit, ita tamen acutam & grauem, & luculentam ædiderint, ut ipsa, & non alia uideatur esse debere. Equidem fateor Augustinum uirum sublimis ingenii per Sic hunc locum exposuisse, & quidem grauissimis acutissimisqꝫ rationibus, hoc autem non satis esse ad persuadendum ita debere scribi, ex eodem doctore manifestissime probabo. Is enim locum illū Epistolæ primæ ad Timotheum exponens, ubi apud Græcos scribitur, πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, hoc est, fidelis sermo, & omni acceptiōe dignus. Ita em̄ Hieronymus quoqꝫ hunc locum interpretatus est. Humanus, inquit, sermo, quid ita? quia ita tunc scriptum repererat, & sic per interpretem fuisse translatum, tantoqꝫ acumine & elegan

Augustini insignis lapsus.

& elegantia ac grauitate sententiarum eum locum ex ponens illustrat atque exornat uir ille sapientissimus atque sanctissimus, ut nemo crederet aliter scribi debu isse, prę sertim quid apud Graecos scribatur ignorās. Nulla quippe apud illos uocabuli huius ambiguitas. Siquidem πιστὸς fidelis sine dubitatiōe significat, quemadmodum & πίστις fides dicitur, nec aliqua est similitudo huius uerbi πιστὸς cum ea dictione Graeca, quae humanum significat, & tamen ita saepe eo in loco replicat hoc uerbum Apostolus, ut uehementer admirer, quo pacto qui primus hoc in Latinum mutauit eloquium, num a Graecae uocis significatione discesserit. Quid enim commune habet humanus cum fideli? Hieronymus postea hoc, ut plaeraque alia correxit, & Graecam uocem repraesentans, fidelis sermo scripsit, non humanus, quo fit, ut nec Latino cuiquā dubium esse debeat, errasse illum, qui pro fidelis humanus antea scripserit, contra Hieronymi, qui Graecae linguae peritissimus fuit, iudicium: Hunc tamen siue imperiti interpretis seu dormitantis errorem librarii, ita scite, grauiter ac sapiēter exponit summum illud Augustini, acutissimūque ingeniū, ut quēadmodum supra diximus, difficile sit existimare, aliter dici debuisse, nisi quis ab authore dictum fuisse perspexerit. Quod ut facilius intelligatur, libet ipsa Augustini uerba, quae in sermone de uerbis Apostoli scripsit, inserere. Audiuimus, inquit, Beatum Paulum Apostolum, dicentem: Humanus sermo, Ex Augustino.

& omī acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in mundū, peccatores saluos facere, quorū primus ego sum. Humanus ergo sermo, et omni acceptione dignus. Quare humanus, et nō diuinus? Proculdubio nisi iste humanus sermo & diuinus esset, dignus omni acceptione non esset. Sed sic est sermo iste humanus & diuinus, quomodo est ipse Christus & homo & Deus. Si recte intelligimus sermonem istum non solum humanum esse, uerumetiam diuinum. Quare Apostolus humanum dicere maluit, q̄ diuinum? proculdubio enim qui non mentiretur, si diceret diuinum, non sine caussa maluit dicere humanum, hoc ergo elegit, per quod Christus in mundū uenit. Venit em̄ per quod homo erat, non per quod Deus erat. Semper hic erat. Vbi em̄ non est Deus, qui dixit: Cœlum & terram ego impleo. Christus certe est sapientia & uirtus Dei, de qua dicitur: Attingit a fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ergo in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Et hic erat, & uenit: hic erat per diuinam maiestatem, uenit per humanam infirmitatem, quia ergo uenit per infirmitatem humanam, ideo prædicans aduentum eius, dixit humanus sermo. Nō liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet homini, & maxime qui hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit

ſcipit hominem, q̄ humanus eſt, qui in ſe ſuſcipit ho minem? Ergo humanus ſermo, & omni acceptione dignus. Vides ne ut locum hūc ſanctiſſimus doctor grauiter luculenterq́ exponit, ubi tamen, Hierony- mo teſte, non recte humanus, ſed fidelis dicendum eſſe exploratum? Non eſt igitur ſufficiens ueritatis argumentū, ideo ſic ſcribendum aſſerere, quia eum locum Auguſtinus & nōnulli alii doctores ita expo- ſuerunt. Hieronymum autem ita exponentem non meminimus legiſſe. Patet hoc idem illius, quem ſu- pra memorauimus, Nicolai Bibliothecę ſuffraganei uerbis, qui poſt multa quæ commemorauit, mendo ſe uel translata, uel per librarios ſcripta, addit poſtre mo, Quorum mendaciorum nonnulla etiam expo- ſita reperiſſe me memini. Ex quibus uerbis apparet, potuiſſe aliqua a doctoribus exponi, qui linguam, unde translata fuerant, ignorantes literam, quam re periebant neceſſario ſequebantur, & nihilominus eſſe mendoſa. Ad hæc accedit, quod cum ſacræ literę ſicut ſupra dictum eſt, tantę ſint profunditatis, ut ua rios ſenſus, multaſq́ & diuerſas ſuſcipiant expoſitio nes, non eſt mirabile exiſtimandū, ſi præter ueram alicuius authoritatis ſententiam, alia minus recta di- uerſis rationibus ita defendatur, ut recte uideatur ex omni parte conſiſtere. Etenim cum in cęteris diſcipli nis omnibus uoces tantummodo ſint, quæ res ſigni ficent, hoc proprium eſt ac peculiare ſcripturę ſacræ, quod nō modo in ea uoces res ſignificant, ſed etiam,

Proprium ſcripturæ ſacræ.

res per huiusmodi uoces significatæ, res alias significant. Hinc est quod non modo iuxta literam, sed allegorice & moraliter, & anagogice sacram scripturam exponunt, ita ut quæuis eius particula ad aliquē istorum sensum reduci possit. At ubi historica seu literalis expositio prosequenda est, nisi uera sit litera, sensus quoq; claudicet necesse est. Quod uero secundo loco asserūt, nihil prorsus in scriptura sacra innouandum esse, impiumq; esse, ex ea imminuere aliquid, uel mutare, an ita sit, Hieronymus ipse respondeat, qui ut supra retulimus, nō solum mutasse, sed emendasse se ac correxisse profitetur, quæ a precedentibus interpretibus male dicta inuenit, uel a præsumptuosis emendata peruersius, uel a librariis dormitātibus addita uel commutata. Neq; solum uetus, sed nouū etiam testamentum, ipsumq; Euangelium tanquam antea corruptum emendasse se prædicat, ut posteriores etiam fecisse scriptura eandem iacturam post Hieronymum passa, supra demonstrauimus. Si igitur non impium sed pium, imo uero piissimū fuit, Hieronymum talia emendare, addendo, subtrahendo, mutando, si posterioribus licuit, pro ut certe licuit, quauis ex caussa ortos errores corrigere, ex quo tot doctorum uirorum libri fluxerūt, quibus correctorium bibliæ nomen est inditum, cur id nostræ ætatis hominibus non liceat? Audiant itaq; primo Hieronymum, & cæteros qui eum secuti sunt, Ecclesiæ doctores impios dicere, & tunc nos quoq; eiusdem criminis

Correctorium Bibliæ.

criminis reos peragant. Sed hæc certe aut rudium
hominum uerba sunt, aut maleuolorum, maleq; di-
centium. Nūc ad illud quod tertio loco posuerunt,
argumentum responsuri. Si cōiunctionem ideo con
ditionalem dici affirmamus, quod nunquā uera sit,
nisi conditione completa, & regulam hanc, quam tra
dunt, ut nouam quidem temereq; inuentam, mini-
me ueram asserimus. Neq; enim indicatiuo siue præ
senti, siue præterito iuncta, conditionalis semper ue
ra est, sed aliquando etiam falsa, neq; cum subiuncti
uo posita, falsa semper, sed aliquando uera, prout ex
rerum conditiōe falsitas, ueritas ue colligitur. Quod Rerū con-
ut manifestius intelligatur, quid Grammatici senti- ditio.
ant, dicemus, deinde quædam ex Dialectica subiun-
gemus. Grammatici omnes tam greci quā Latini, &
in primis Priscianus, qui non modo sequitur Græ- Priscianus
cos, sed id se facere, multis in locis gloriatur, Si con- Si con
iunctionem cōtinuatiuam esse aiunt, quando enim iunctio.
Græcum significat, eamq; sicut & reliquas continua
tiuas, cum a Græcis ab Apollonio Herodiani patre, Apollo
inter causales connumeratam esse, ordinemq; præce nius.
dentis rei ad sequentem significare, cum aliqua dubi
tatione essentiæ rerū, uel ut Græci dicunt, sine signi-
ficatione essentiæ, ut, Si stertit, dormit: & si ægrotat,
pallet: & si Febri uexatur, calet, neq; enim conuerso
ordine in his cōsequentiam sententiæ seruat oratio.
Non enim qui dormit, omnino stertit, & sic de cæte

P

ris, non irrationabiliter eas causales esse aiũt. Et continuationis enim & subcontinuationis, quemadmodum & adiunctionis & effectionis, per has caussa ostenditur reddi. Continuationis, ut, Si ambulat, mouetur. Caussa enim cur mouetur, ipsa est ambulatio. Huiusmodi caussales interdum pro approbatiuis poni cõmemorant, quoniam scilicet, & id quod dicimus, ita certum apertumq; est, ut impossibile sit, aliter opinari, tuncq; duntaxat indicatiuo coniungi, ut apud Virgilium, Si quid usquam iusticiæ est, & alibi, Dii siqua cœlo est pietas. Indubitatum enim & in cœlo pietatẽ esse, & in mundo iusticiæ aliquid. Hinc in facilem errorem inciderunt aduersarii mei, putantes quoniam Si caussalis pro approbatiua posita cum indicatiuo coniungitur. Ideo & econuerso, quoties cum indicatiuo coniungitur, esse approbatiuam, quod longe est a ueritate, non enim quoties indicatiuo coniungitur, esse approbatiua potest. Quãuis quoties approbatiua est, indicatiuo iungatur. Infinita huius rei exempla sunt, sed nobis hæc modo sufficiant. Si male locutus sum, inquit Dominus apud Iohannem, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis? Si quis hoc loco afferat ideo approbatiuam esse Si coniunctionem, quoniam præsenti indicatiuo iungitur, certe & male locutum Dominum afferat necesse est. Quod si male locutus est Dominus (quod nefarium est sentire) cur mox

cur mox addit, Si autem bene? Et cum de se diceret Saluator, Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, quod in Beelzebub eũ eiicere dæmonia fateatur oportet. Qui Si indicatiuo iunctam, approbatiuam uult esse oportere, uerum non nobis, sed hæc nos dicere cogentibus, huiusmodi blasphemias imputari uolumus. Similiter apud Virgilium dicitur,

Si datur Italiam sociis & rege recepto
Tendere, ut Italiam læti, Latiumq; petamus.
Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrum
Pontus habet Lybiæ, & reliqua.

Vbi quanquam indicatiuo Si præpositio iungatur, non tamen approbatiua est, sed caussalis, siue conditionalis, neq; enim significat rem certam, unde mox additur, Sin absumpta salus. Sed hæc de præceptis Grammaticis suppressisse satis sit, nunc autem de Dialecticæ referamus. Licet Si coniunctionem conditionalem esse, etiam Dialectici fateantur, conditionalem tantum ex ui locutionis nihil prorsus affirmare, nullamq; suarum partium asserere tradunt, sed tantum inferre consequens antecedente confesso. Nulla etenim propositionis pars, siue indicatiuo, siue subiunctiuo Si conditionalis coniũctio adiungatur, absolute seu categorice ponitur, sed solum consequens propositionem infert, posito tamen antecedente conditionaliter, & non alias, ideo nullius partis ueritas ex totius ueritate potest inferri, Quis enim sanæ

Ex Dialecticis.

mentis ausit dicere, quoniam uerae sunt huiusmodi propositiones, Si sol est supra terram, dies est: &, Si homo currit, animal currit, idcirco & antecedentia, uera esse, scilicet quod sol sit supra terram, & homo currat. Itaq; inter illas propositiões, in quibus Si indicatiuo adiungitur, & eas, in quibus adiũgitur subiunctiuo, non hoc interest, quod illę quidem certitudinem, hae uero ambiguitatem habeant, sed quod illarũ principales partes seorsum acceptae, atq; perfectum, & affirmant negant ue aliquid, instar propositionum categoricarũ, quae uerum falsum ue significant. Etenim ab hac propositione, Si Socrates febri uexatur, ablata Si coniunctione, reliqua pars, quae est Socrates febri uexatur, categorica efficitur propositio, & uerum falsum ue significat. Illarũ uero partibus hoc minime contingit. Nam si ab hac propositione, Si Socrates curret, Si coniunctionem abstuleris, reliqua pars, quae est Socrates curret, nec categorica propositio est, nec aliquid affirmat negat ue, sed ut falsum uel uerum significet, sensumq; perficiet ex aliis dependet partibus. Ex his ergo manifesta ad tertium argumentum aduersariorum est responsio. Siquidem haec propositio, Si eum uolo manere donec ueniam, non ideo certum significat, quia indicatiuo coniungitur propter eas, quas diximus, rationes. Falsa est igitur aduersariorum conclusio, quod scilicet particula illa significet, ac si diceretur, Sic eum uolo ma

lo ma

ſo manere, quippe fallacia cōſequentis eſt. Nec enī, ut ſupra dictum eſt, cōuertitur, neq; uere poſſumus dicere, quoniam cum approbatiua eſt, ſi indicatiuo coniungitur, approbatiuam eſſe. Sed ut iam quartū aduerſariorū argumentum aggrediamur, dicimus minorē falſam eſſe. Etenim ſatis a nobis ſupra oſtenſum eſt, continuatam adhuc uitam Iohannis Baptiſtæ dubii quidem habere plurimū, certi uero nihil, mortem uero eius plus certi habere, q̄ dubii. Aduerſarii uero in hoc præcipue fundant argumentum, q nulla ſit de Iohannis morte dubitatio. Quod uero ad confirmationem opinionis ſuæ, exemplum adducunt die Veneris carnes edentis: Quid aliud dicendum eſt, q̄ quod paulo ante retulimus, ueritatē uel falſitatem rei huiuſmodi propoſitionem uel certam facere, uel ambiguam. Enimuero qui tali die carnibus ueſcitur, ſi uerum fateri uelit, & increpanti ita reſponderit, Si comedo quid ad te? Comedere ſe actu affirmat, quid ſi idem dicatur non comedenti? Nonne & ille ita reſpōdebit, Si comedo quid ad te? Non quidē ut ueſci ſe carnibus fateatur, ſed ut falſo arguentem irrideat, & iniuſtum accuſatorem irritet atq; contemnat. Quid ſi eo die comedens carnes, ab accuſatore ſuo prouocatus, ita reſpōdeat, Si comedo uel non comedo, quid ad te? Recta certe locutio erit, an ideo dicemus, quoniam conditionalis indicatiuo coniungitur, approbatiuam eſſe, uerumq; eſſet, q

ille carnes edat, & non edat, id uero ne insani quidem faterentur. An uero dicemus unam quidem partem ueram esse, alterã falsam? Falsum igitur erit, quoties Si indicatiuo coniungitur, esse approbatiuam. Quod uero aduersarii uelut tacitæ obiectioni respondentes, non uim uerborum & sensum intellexisse Dominũ, sed negare Euangelistam, aiũt, illum huiuscemodi uerba protulisse, inepta sane & puerilis Euangelistæ sententia foret, si sciens Dominum uelle se in hac uita manere donec ueniret, condiscipulos ueluti falsa opinantes redargueret, idq; duntaxat prolatione uerborum, in quo illi quidem mirifice forent laudandi, nimio acumine ingenii ex ambiguo sermone ueram elicientes sentẽtiam. Quos contra Chrysostomus falsæ de se opiniõis refert ab Euangelista fuisse correptos, quod cæteri quoq;, qui eum uita functum putant, proculdubio dicerent: Dicere præterea per ea uerba, Sic eum uolo manere, uoluisse Christum ita manere Iohannem, sed Petrum redarguere, minime ad se pertinentia quærentem, puerili potius contentioni, uel argutuli Sophistæ fallaciis, quàm Domini nostri Iesu Christi grauitati & sapientiæ conuenit. Sed esto sane ut dicitur, nonne hoc superioribus dictis repugnat? Etenim si uerba duntaxat Euangelista negat, ut dictum est, sensum igitur concedit, dixit ergo eum Christus non moriturum

turum, quod si ita est, quomodo hæc duo consta-
bunt? quod & eum non moriturum dixerit Chri-
stus, & quod non ideo dixerit, quod ita uellet, sed ut
Petrum redargueret arcana quærentem. Demum,
quis non uideat quartum aduersariorum argumen
tum huic solutioni contrarium esse? Siquidem illic
dicunt proculdubio Iohannem adhuc se manere,
hic uero, non ideo sic dixisse Dominum, quod ita
uellet, sed ut Petrum increparet. Nam quod postre
mo addunt, moriendum potius esse, q̄ quicquam de
sacra scriptura cōmutandum, neq; posse esse catho-
licum, qui hunc Euangelii locum commutare præ-
sumpserit, adduntq; eum, qui hoc ausus fuerit, eti-
am peiora facturum, si ei authoritas & uires accesse-
rint, & si talia sint, quæ nos ad risum potius moue-
ant, quàm ad respondendi laborem suscipiendum,
tamen ne hanc quoq; partem intactam præteriisse
uideamur, Hieronymum, Augustinum, cæterosq;
& ueteres & nouos doctores opponimus, qui cum
nō modo Catholici, uerumetiam sanctissimi fuerint
atq; habeātur, multa tamen & in ueteri ex Hebræo,
& in nouo testamento ex Græco fonte edocti, muta-
re, demere, addere, corrigere, emendare, resecare,
reformare, & ut eorum uerbis utar, readdere non
erubuerunt, quemadmodum in superioribus satis
superq; a nobis ostensum putamus. Verum ut ali-

quando dicendi finem faciamus, dissolutis iam atque rescissis aduersariorum argumentis, dicimus, ingenueque testamur, licere cuiuis, tum ueritate rei, tum Graecae atque originalis linguae concordia freto, absque ullo metu, aliquo ue iniustae calumniae periculo cum sancto Euangelista, Graecisque doctoribus, Si eum uolo manere donec ueniam, legere atque proferre, muliebribus minis et uanorum hominum iurgiis contemptis, ac pro nihilo habitis. Libet autem in calce orationis quasi signum, ut aiunt, imprimere sermoni, & ueluti in asylum contra omnes oppugnantes nos, recipere. Eia igitur eat, progrediaturque in medium egregius sacrarum literarũ interpres, integerrimus uir Hieronymus, & quasi ueritatis ac iusticiae propugnator, quomodo ipse hunc locum transtulerit, ostendat. Hic in ea, quam ad Iouinianum de uirginitate scripsit, elegantissima oratione, Rursum, inquit, de Petro loquens, post auditam sententiam, quod ab alio cingendus esset, & ducendus quo nollet, & crucis illi fuisset passio prophetata, & ille diceret: Domine quid iste? nolens Iohannẽ deserere, cũ quo fuerat semper copulatus, dicit ei Dominus: Quid ad te, si eum uolo sic esse? Quis amplius alios testes citat? Quis aliud desyderat testimonium? cum Hieronymum ita audiamus dicentem, Si eum uolo sic manere? Quid enim aliud est sic esse, nisi manere?

Nam ita

Nam ita dicere, Sic eum uolo, sic esse, nemo auderet, nisi barbarus. Manifestum est igitur, & antiquiores Hieronymo interpretes, qui Sic pro Si scripserunt, nisi librariorum menda fuerit errasse, cum Hieronymus ipse, Si uolo, dixerit, & eos qui Hieronymum sunt secuti, pristino usu corrupti sermonis praeualente, uel imperitorum praesumptione, uel incuria librariorum, pro Si Hieronymiano, Sic illud pristinum continuatis temporibus conscripsisse. Sed nos quidem cum Hieronymo, cum synceritate Graecae scripturae, cum Graecis doctoribus, ut fas est, sentientes, Si eum uolo manere, legamus, ad gloriam eius, qui per sacratissimum Euangelistae Iohannis os Graeco sermone scribentis, haec loquens absque ulla prorsus ambiguitate uerborum, Si eum, inquit, uolo manere donec ueniam, quid ad te? Tu sequere me.

FINIS.

HAGANOAE APVD IOHANnem Secerium excudebatur, Anno à Christo nato M. D. XXXII. Mense uero Februario.

